

cm  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29

Det här verket har digitaliseringen vid Göteborgs universitetsbibliotek.

Alla tryckta texter är OCR-tolkade till maskinläsbar text. Det betyder att du kan söka och kopiera texten från dokumentet. Vissa äldre dokument med dåligt tryck kan vara svåra att OCR-tolka korrekt vilket medför att den OCR-tolkade texten kan innehålla fel och därför bör man visuellt jämföra med verkets bilder för att avgöra vad som är riktigt.

This work has been digitised at Gothenburg University Library.

All printed texts have been OCR-processed and converted to machine readable text.

This means that you can search and copy text from the document. Some early printed books are hard to OCR-process correctly and the text may contain errors, so one should always visually compare it with the images to determine what is correct.



GÖTEBORGS UNIVERSITET

JOHANNIS MESSENII  
SCONDIA  
ILLUSTRATA,

*Seu*  
CHRONOLOGIA DE REBUS SUECIÆ  
*Potissimum;*

Deindè Regnum etiam adjacentium,  
in quantum illius conducit cognitioni;  
Tām Ecclesiasticis quām Politicis,  
ab Anno M DXX. ad MDLX. CHRISTI  
gestis.

TOMUS V.



STOCKHOLMIÆ,  
Typis OLAVI ENÆI, ANNO CHRISTI M. DCCI.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO  
MONARCHÆ,  
D. GUSTAVO ADOLPHO,

Sueciæ, Gothiæ, ac Vandaliæ Regi, Magno  
Finlandiæ Principi, Duci Esthoniæ, Careliæque,  
& Domino Ingermanniæ,

*felicitatem.*



*Uoties ausa Regis GUSTAVI*  
inlyti avi Tui, REX SERENISSIME, mecum  
considero, toties incredibili defixus stupore, ceu mente  
paulisper alienâ hærere soleo. Nam quis rem penitus  
introspiciens, magis quam admirabilem, sine tanta  
potest affectione sibi præsens consistere? Videlicet quòd ille modicā prædi-  
tus opulentia, & nullâ instructus potentia, et si tamen regiā oriundus  
esset prosapiâ, fuerit ausus se opulentissimo ac potentissimo Monarchæ,  
Christierno regi opponere? Qui Cæsar is esset sororius? Omnibus Germa-  
niæ, velut & Angliæ, Scotiæ, Galliæque Principibus cognatus, aut con-  
federatus? Qui Dania, Suecia & Norvegia, pro arbitrio dominaretur?  
Qui tantum indè posset exercitum producere, quantum etià Regum vel  
Imperatorum potentissimus meritò formidaret? Qui præterea suo firmasset  
præsidio omnes Suecia munitiones? potentiores regni Præsules & Proce-  
res, à quibus rerum studio novarum aliqua forent subsidia expectanda,  
obtruncasset? reliquas ita exanimasset & exarmasset, ut vix ipsi vel  
plebejorum ullus hiscere auderet, multò minus arma in Tyrannum pro  
patria capescere!

Verum enim vero parvulus ille David, audacter immanem hujusmo-  
di Goliatum aggreditur, & victoriâ potitus, non modò sceptrum Suecia,  
Tyranno eruptum Christierno, sibimet acquisivit: Sed etiam Friderico Hol-  
satiæ Duci primum, deinde hujus filio Christiano, maximas tulit suppetias  
in auferenda eidem simul Dania & Norvegia. Nec porrò minus admi-  
rabile est, quod ipsem interea domi cum Optimatibus & Primatibus Sue-  
cia, dogma mordicus Catholicum propugnantibus, & Lutheranum aver-  
santi.

santibus, sit ausus tumultuari! Quippe ut sapienter illemet cum horrore postmodum commemoravit, quam periculosa sua fuerit Majestati, dissensio contentioque cum Dalecarlis; cum Montanis; cum Westrogothis; cum Smalandis, & Sueonum Gothorumque reliquis, nemo vel mediocriter in Historia istius versatus, tempestates non animadvertisit. Nihilominus tam presentibus non consideratis discriminibus, impavidus pergebat, hoc animatus consilio Poetae: Audaces fortuna juvat, timidosque repellit.

Non autem ea soli quintus operum Tomus meorum, luculenter gesta commemorat; Verum simul Historiam Friderici ac Christiani, Danie Norvegisque interea temporis dominantium, recenset Politicam, & pariter Ecclesiasticam Sondiae; Quomodo nimurum prisca in Suecia, Dania & Norvegia religionis, cum Evangelica contigerit permutatio. Quocirca cum isti Sondiae Reges, MAJESTATIS TUAE fuerint Majores, scilicet GUSTAVUS, MAJESTATIS TUAE avus, non invenio sane cuijure hunc Chronologiae Tomum potiore, quam MAJESTATI TUAE dicens; Sicut propterea, nec existimo quicquam MAJESTATI TUAE gratius inscribi vel offerri posse, quam illi, qui sunt de rebus Majorum olim gestis, Commentarii. Unde opus non magnoperè MAJESTATI TUAE commendo, ne videar quodammodo dubitare de observantia MAJESTATIS TUAE erga suos Majores; Immò eadem fretus ego, libri author, benevolentia, non me alia indigere apud MAJESTATEM TUAM commendatione indubius confido, hisce MAJESTATEM TUAM divinae providentiae & clementiae ex animo committens. Ex Cajanaburgo, Calendis Augusti, Anno MDC XXIV.

S<sup>x</sup>. R<sup>x</sup>, MAJESTATIS TUAE

Observantissimus & fidelissimus  
Servitor,

JOHANNES MESSENIUS:

PROGR A M M A.

**S**Cipio quanta suæ Romanus commoda genti,  
Hostili fuso sæpe cruento, tulit;  
Tanta Gothis, Suecisque suis Scondanius heros  
**GUSTAVUS**, dictus Scipio & inde bonus.  
Nam Patriæ gentem Dani sub pondere pressam  
Oppressamque levat, nec grave reddit onus;  
Firmat & erectam tot fortibus undique fulcris,  
Ut timeat casus nulla pericla magis,  
Scilicet excelsam, generoso & robore prolem  
Liquerat, hac nunquid Patria nixa ruet?  
Firma pedamentis per Seclum constitit istis,  
Tempestas nocuit Danica nulla Gothis;  
Nec nocitura genus retinet dum Suecia prudens  
Scipiadum, hostilis turbo nec alter iis.  
Inclyta Gustaidum soboles subsiste perennis:  
Sors tecum Patriæ fausta, perennis erit.

S. R. VESTITAS TUE

CHRO-



## CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ TOMUS QUINTUS.

Nno M DXXI. post abitum

Gustavi, parochiæ in Dalecarlia Morensis  
incolæ, tyrannidem Christierni immanissimam ex a-  
liorum quoque sermonibus cognoscentes, & suis me-  
tuentes similiter cervicibus, nunciis quantocuyus  
emissis, Gustavum revocarunt. Cui protinus in Gubernatorem de-  
lecto, ipsi & Dalecarlorum reliqui eodem metu perculsi, suas spon-  
dent opes & opem, sanguinemque parati simul impendere patriæ vin-  
dicationi.

Deinde horum bellaciores ad novum confluunt turmatim Pole-  
marchani, ac isto per regnum divulgato rumore, multi proscripto-  
rum, mandato Regis, iniquissimo, ex latebris ad exoptatissimam Gu-  
stavi militiam convolant certatim. Alii vero conjurati Regis osores  
domi remanentes, prompto liberalique animo nervum belli submini-  
strant, & ausa Gustavi heroica Deo fortunanda jugiter commendant.  
Etenim divinâ humanaque indiguit magnopere Gustavus ope, contra  
potentem adeo monarcham totius Scondiae; Cæsaris sororium; omnium  
in Germania principum agnatum, cognatum & affinem; Hispano,  
Gallo, Anglo, Scoto atque Polono fœderatum, pugnaturus; nec mi-  
nus quam pusillus David, monstro Amorrhæorum congressurus. Quem  
ideo Christiernus horum non ignarus tumultuum, velut Davidem Go-  
liatus principio contempsit imprudenter, confidens suo in arcibus Sue-  
ticis præsidio solo ipsum facile prostratum iri, & modicas serò copias  
per Severinum Norby submittens, cui maris custodiam demandasset.

Hoc autem Sueonum quorundam favore Gustavus animatus, &  
proprio fervore instigatus, jamque M. armatis stipatus, tantorum ho-  
ustum profligationi se felicibus auspiciis viriliter accingit. Et in primis  
finitimos aggressus Cuprimontanos, XXVIII. Januarii, regium apud il-  
los captivat præfectum; mercibus spoliat Danos ibi negotiantes; cen-  
sus levat, & hoc perfunctus militiae novæ tirocinio, in Dalecarliam ovans  
reheat.

Nec multo post tempore, potentior ad Cuprimontanos regressus,  
ipso ad spondendam sibi obedientiam non invitos permovit, qui ex-

## CHRONOLOGIAE SCONDIANAE

templò borealium populis regionum eandem per literas suaserunt. Sed non satis idoneum nactus illic responsum, eò Gustavus cum modica equitum turma proficiscitur, atque Helsingos, Gestricios, Medelpadios Angermannosque, suis præsens non difficulter reddidit votis obsequentes, tributa sibi modo solutiros, & deinceps militem quoque suppeditatiros. Alios tamen ibi propter Dani tyrannidem delitescentes non paucos, illosque eximios consequitur commilitones.

Et interim Archiepiscopus cum aliis Christierni fautoribus, Dalecarlos à rebellione dehortatus, exsibilatur, indeque hostis exacerbatus, arma parat in rebelles. Ac ipsi redditum in primis Gustavo in Dalecarliam prohibiturus, viam illuc deducentem grandi obfidet exercitu. Quem propterea invadens Gustavi vicarius, cruentam de illo victoriam reportat, securumque reduci accessum comparat gubernatori.

Is proinde ad sua reversus castra incolumis, unum expedit centurionum, Vermelandis, Nericiis & Vesmannis subjectionem persuasurum; qui partâ abusus victoriâ, ab hostibus bellum tacite instaurantibus Cœpungæ profligatur. Cujus inscius clavis Gustavus, postridie bellum Christierno per literas denunciat, æquissimas hujus causas publicat, & cum V. millibus armatorum Arosiam versus properat. Quem illuc adventantem hostis effusus audacter excipiens, in fugam avertitur XXV. Aprilis, & mox se colligens denuò pellitur in acropolin, hincque flamas jaculatur in civitatem, quibus non modica ipsius portio cum tecto Ecclesiæ cathedralis conflagravit, per Gustavianos tandem urbis dominos extintis.

Gubernator autem prosecuturus victoriam, arcem sibi vendicat expugnandam, auxilio Dalecarlorum, aliis exploratae fortitudinis commilitibus, Oerebrogiæ, Upsaliæ, Nycopiæ atque Stegeburgi committens impugnationem. Verum primores hostium Arosiensium rebus suis diffici, castro probe munito, Stockholmiam profugiunt; à quibus Regni Primas instigatus Gustavus, arctoum velut fūæ diœcesis populum, Gubernatori novo faventem, ad Christierni revocaturus obedientiam, in Helsingiam navigat, ibique frustrâ laborat.

Porro Lubecenses cum reliquis Vandaliæ municipibus, Dano propter non servata pacta nuper conventa, vehementer offensi, hanc Sueticam in ipsum rebellionem lubentes cognoscunt, & prohibita per illum cum Sueonibus commercia, intrepidi repetunt. Unde Tyrannus ipsis magnoperè succensens, rigido vetat edicto, aliquas ex Dania merces, Vandalorum emporiis transmittendas. Et Anglos Scotosquè illis hostes objecturus, piraticâ Britanos classe, sub mentito civium Vandalicorum nomine, fraudulenter infestat. Ast sibimet peculiares occidentalium nationum, sub littoribus Daniæ crebrò naufragantium, procuraturus favores, statuta naufragis mirè patrocinantia, æstatis initio promulgat.

Modice tamen his lucratur notæ improbitatis Princeps fraudibus apud alienigenas, & minus longè apud indigenas, perfidiam illius detestantes, ac propter decretum, mercium prohibens exportationem, indignantes. Evidem Norvegis tyrannide nimiâ oppressis, dudum evasit detestabilis, quorum Archipræsulem quoque, virum multis conspicuum virtutibus, Ericum Valchendorpium, quod ipsum hortatu Caroli Cæsaris, illicitæ cum Divicha libidinis admonuisset intermittendæ, tanta perlustrum persecutione laniavit, ut in Flandriam hac æstate migraverit exulatum.

Interea temporis Centuriones Gustavi arcium sibi commissæ non indormiunt expugnationi, & Archiepiscopus Upsaliam periculo liberatus,

rus, cohortibus illuc ab hoste destinatis, suo mandat stratego Benedicto Biuggio, tempestivè occurrere, quarum ille vīctor in primis extitit, & deinceps Enecopiae vīctus, refugium captat Upsaliæ. Ubi miles ipsi congreiens Gustavianus, superior evadit, & Biuggius lethali accepto vulnere, Stocholmiam festinat, in qua protinus animam exhalat: Atque Præsul tantam suorum inaudiens cladem, illuc mæstissimus ex Helsingia remeat.

Sed alter Gustavus suorum vīctoriā exhilaratus, Upsaliam Junio mensē cum mediocri proficiscitur exercitū Arosiensi, Lamberto Matthiæ commissā obsidione. Et Archipræsulem tantā clade perculsum ad suas non difficuler partes modò pertractum iri confidens, suasu Patrum Upsalensium, ipsi amicissime perscripsit; sceleris spondet admissi condonationem; Stechii restorationem, & liberalissimam immunitatis Ecclesiasticæ confirmationem amplificationemque, si causā Dani sceleratissimā modò desertā, in patriæ vellet unā secum fideliter conspirare vindicationem.

Saluberrimum fuit hoc consilium, quod tamen desipiens ille despiciens, pedibus literas protrivit, & cum grandibus Danorum copiis mox Stocholmiā clanculum exivit, Gustavum insperato aggressurus. Qui nihil mali ab illo expectans, secure moratur interim Upsaliæ, & tandem immensas adventare hostium copias prospectans, se delusum comperit, nemusque ad proximum se festinanter cum suis recipit cohortibus. Quem mandato Antistitis, strenuus miles Stephanus Henrici cum turma equitum infuscatus, ipsum ferme oppressisset, nisi mavortiā commilitonum fortitudine, tanto ereptus periculo, ad invia sylvarum pervenisset. Atque illac Præsulem cum Danicis agminibus Stocholmiam cognoscens redditum, plurimo quantocvus ex Uplandia populo illuc convocato, perfidum decrevit hostem excipere. Verum de paratis ille admōnitus insidiis, aliud ingreditur iter, quo tamen Gustavus ipsum persecutus, tantam illius edit stragem, ut sextus quisque vix Stocholmiam miles cum Archipræsule redierit. Quā usque vīctor insequens, ipsam ex monte Brunconis acriter impugnat. Hinc Gustavus intra extraque regnum literis quaquaversum destinatis, suæ progressum successumque militiæ pro patria susceptæ, luculentius significat, ad subsidium ferendum, fœdusque in hostes communes pangendum invitat; Et præcipue legatis ad Lubecenses expeditis, ab illis pro veteri amicitia suppetias flagitat.

Ab hostibus vero identidem erumpentibus, sub Stocholmia Gubenerator nimium fatigatus, maleque tractatus, indē castra movet ad pontem Rotensem, & neque illic securior, utpote crebrō a Danis infestatus, cogit Stocholmenſi aliquandiu supersedere obsidione, de armis & copiis sibi pluribus interim provisurus, atque subcenturionum per regnum emissorum exploraturus fortunam. Quā profecto usus prosperrimā est illorum unus, Arvidus Vestrogothus, cum Ostrogothi authore illo, fidelitatem Gustavo præstiterint, Stegeburgum hoc tempore gnaviter impugnantes; & suis illic præfidiariis Christiernus opem laturus, militem commatumque operā Severini Norby, submittit, quem inde redeuntem aggressus Arvidus, in turpem conjicit fugam.

Tanto Gustavi successu magnopere Christiernus affligebatur, & sibi persuadens cruciatu matris permotum iri ad deponendum arma, secumque transigendum, illius aviam, materteram, & Ceciliam parentem, binasque forores, Emerentiam atque Meretam, hactenus Stocholmiæ detentas, in Daniam cum aliis cæforum Procerum viduis, curat perducen-

## CHRONOLOGIAE SCONDIANÆ

das. Pro quibus licet plurimum deprecaretur Regina pientissima; tamen Cecilia, cui propter filium præcipue Tyrannus fuerat infensus, cum filiis in tetrum detruditur Hafniæ carcerem, ipsiusque squalore, mortis horrore, quotidie intentatæ, atque ingenti mœrore, juxta vulgi sententiam, moritur, filiæque, ac in cœmiterio Ecclesiæ parochialis, cum iis sepelitur. Quamvis prudentiores hujus rei æstimatores, violento ipsas mortis genere sublatas, Gustavi luentes rebellionem, arbitrentur.

Sed heroides reliquæ Calenburgum expeditæ, cruciatibus quoque non caruerunt, quarum oculis quotidiana obversaretur mortis imago; si quidem telâ, filo contextâ levidensi, ad ipsas crebrò projectâ, sibi culeos indè juberentur parare, quibus inclusæ, mox essent submergenda. Gustavus vero plus patriæ, quam parenti se obstrictum prudenter existimans, hac quidem commovetur tyrannide; non tamen permovetur. Unde Christiernus spe delusus, & graviter confusus, quod propter illam, & præfertim lanienam Stocholmensem, in toto male audiret orbe Christiano, ac Romæ potissimum ob cædem Episcoporum, illuc nuncio transmisso, contumaciter Pontifici insultat; decies centena aureorum millia, ex Scondia per Arcimboldum eò perlata, ipsi falso exprobrat, hæc pervicaciter reponscens. Et demum nulli se culpæ obnoxium demonstratus, flagitat ut legatum Gregorius in Daniam expediret, cædis causam perpetratae illic examinatum. Indè permotus ille, velut etiam querela Johannis Gothi, Brundusio Roman festinantis, vehementerque nomine Sueonum adversus Tyrannum protestantis, sub anni hujus exitum, in Daniam ablegat Franciscum de Potentia.

Medio temporis intervallo, Danus simul apud Cæfarem se excusatus affinem, in Suecos & Lubecenses opem impetraturus, Holsatosque sibi ac successoribus obsequentiores ad subsidium in necessitate ferendum, redditurus, mense Julio in Belgium, ubi constitutus fuit Imperator, navigat; Et primum delatus Amsterodamum, illic offendit Ericum Valchendorpium Norvegiæ Primate, quem falso accusatum spoliatæ omni thesauro Ecclesiæ Nidrosiensis, captivasset, atque trucidasset, nisi Tyranno Senatus urbis obstatisset, & Præful ipse met ad Pontificem Cæfaremque appellasset. Cui Rex suæ conscientia iniquitatis, noluit consentire appellationi, affirmans domi causam in primis discutiendam. Quod etiam Antistes insons non aversatus forum, trajecto deinceps mari, Proceribus Daniæ significat in illo se paratum comparere, modo judicem ibi haberet competentem, & securam obtineret fidem publicam. Ast his non impetratis, Romanum adiit, in qua mœroris copiâ & rerum inopiâ periit. Cæterum in absentia Christierni, Lubecenses missis ad Reginam oratoribus, postulant ex vigore contractus, securam cum Sueonibus negotiationem, quæ responsum ad mariti distulit reversionem.

Is Cæsari congressus, quod bello implicaretur Gallico, nihil suppetiarum ab illo impetrat, præter commissionem Episcopo factam Raseburgensi, super lite Danos & Lubecenses inter componenda, & delegationem defideratæ facultatis principibus imposterum Holsatiæ, nomine Imperii, per se atque successores, investituram conferendi, à Lubecensium præfule illis haec tenus collatam.

Obtendit vero Christiernus, sibi & aliis Holsatiæ legitimis hæredibus multo esse dedecori, hanc dignitatem à persona capessere inferiori, velut etiam Lubecensem Episcopum, non impetrata hujus potestatis confirmatione à novo Imperatore, illâ de facto privatum prærogativâ. His Cæsar persuasus, suo hortatur diplomate Fridericum Holsatiæ Ducem, ejusque successores, ad capessendum hoc beneficium à Christierno, & succendi-

## TOMUS QUINTUS.

5

dentibus in throno Daniæ Regibus, ac illos, prout hujus collatores munēris, observandum.

Quâ Regis fraude Lübecenses nomine sui Antistitis nova contra Danum indignatione permoti, Gustavo per Stephanum Sassium DC. destinant in auxilium equites, aut connivent ipsos illuc comparanti. Quos Gubernator percommode nactus, mense Julio, Stocholmensem instaurat obfitionem, & Stegeholmensem in Thiuschia quantocytus accelerat, doiens Stephanum Castelholmio non potum, quod navigando in Sueciam frustâ impugnavit. Nec minus de salario tantis copiis numerando sollicitus Gustavus, Västensi comitia indicit, ibi cum Ordinibus hac super re deliberaturus. Quocirca in Ostrogothiam descendit, & visitato gratulatur Arvido victoriam de Severino reportatam, moxque advocatus ad ipsum Braschius, qui delitescens in Munchabodio, postea Norsholm appellato, ferebatur subisdium ex Dania præstolari; suspicionem à se derivat, consilium, auxiliumque Gustavo præstat, ac Västenum simul festinat.

Illic ex toto Gothorum regno congregati Ordines XXIV. Augusti, gratulantur successum Gustavo, ad pergendum feliciter in patriæ vindicatione illum hortantes, opes & opem regiaque insignia pollicentur, atque porrectis sub dio manibus, ipsi in Gubernatorem concorditer accepto, jurant fidelitatem. Quam Gothis vicissim promittit, & privilegia Ecclesiasticis Politicisque suo roborat diplomate, ac lubens suscipit eò simul venientes XXX. regni viros nobilissimos, à regio Calmarniæ exercitu profugos, & cum ipsis turmam equitum Suetorum insignem. Deinde levat ex Gothia censū; Lechensem in Vestrogothia munitionem per accolas obsidet, & Slaghecio eripit, Neulosiam ac Elsburgum invadit operâ fautorum.

Per Gustavi vero absentiam nacti occasionem, Theodoricus Slaghecius, & Gregorius Holstius, regio Arosiæ præsidio advehunt commatum, Lamberto nequicquam ibi reluctantate. Qui proinde hostem in Collesundio reducem, triduanâ per Laurentium Petrium exceptit tam acri pugnâ, ut ductores plerique occumberent illic Danorum. De quo lätatur successu Gustavus, in Uplandiam reversus, & Finlandiam hostibus pariter erepturus, mense Septembri, strenuos aliquot eò viros ablegat, ut indigenis convocatis, propugnacula regionis expugnant.

Quo tempore miles Stocholmiæ regius, Christiernum ex Belgio reversum inaudiens, ternos de suis expedivit Centurionibus salario petituros, deque injustitia Theodorici questuros coram Rege, quos ille Abramstorpii comprehensos, ad lucernam mandat nocturnam cum famulis decollari. Sacellatum quoque conjugis, virum integerrimum, suspicans ab ipso Cæsarem fieri certiorem, de suo cum Elizabetha convictu in Flandria exprobrato, ex Dania relegat. Quod indigne terens Carolus, fororium ad ipsius hortatur restitutionem per literas, illasque quod Maximilianus uxoris servitor attulisset, regio mandato fuit trucidatus.

Postea multum cogit militem, illo Sueciam recuperaturus, quo in negotio Borenholmiam sibi admodum oportunam considerans, à M. Georgio Scorborgio, Lundensium Præsule, Hafniam vocato, illam flagitat coronæ restituendam, monstratque priscas ipsi literas, quas Pater contra Birgerum anteā produxisset. Sed Antistes illud suo contrarium juramento Ecclesiæ præstito affirmat, & tyrannidem formidans Regis, cathedraque potius quam vitâ, vel conscientiæ integritate malens carere, insulam resignat, & monastiken Hafniæ Franciscanam se amplexurum simulat. Reliquos mox Lundensis Ecclesiæ Patres, de Borenholmia compellat tradenda, & præcisè abnuentes trudit in carceres, insulamque violenter occupat, & capti-

vos de custodia relaxat; Verum Archiepiscopus clanculum elapsus Romanum, de Christierni queritur violentia.

In Suecia Gustavus Stocholmiae totus expugnationi intentus, tribus illam Octobri mense impugnat castris eminus positis, ob crebras hostium incursiones, quibus omnem terrā marique præripere commeatum frustra conatur, necessariā destitutus classe. Itaque Gustavus Upsalensis, Beldennachius Stregnensis, & Slaghecius Scarensis, si Diis placet, Episcopi, suis metuentes capitibus, præsubitā Daniam petunt fugā. Sed Archiepiscopi eō adventum ægro tuit Christiernus animo, quod ab ipso in Suecia remanente, tantum expectaret subsidii, quantum avus olim à Joanne Benedicti consequebatur. Theodoricum verò ad suos velut natum & formatum impios mores, Lundensibus pro Archipræsule obtrusit, ab illo propter Borenholmiam, Ahusiumque, Ecclesiæ sublata non se molestatum iri certò confidens.

Hoc demum ad finem properante anno, Christina regis Johannis vidua, mulier plurimis ornata virtutibus, impiam filii dubio procul detestans vitam, piam cum morte commutat vitam, & Ottoniæ habitu tumulatur monastico. Nascitur etiam Christierno nunc filia, aviam nomine referens, quæ postmodum Mediolanensi ac Lotharingo successivè nupta fuit Principibus. Præterea indigenas Bergensis in Norvegia civitatis, mechanici alienigenæ, sub mercatorum illic Vandalicorum degentes protectione, crudeliter spoliarunt.

Atqui mense Novembri, Abogiam Gustaviani arctâ ligant obsidione, per Arvidum illius Præsulem insigniter adjuti, quorum in Suecia commilitones XVIII. Decembris, arcem deditam occupant Stegebürensem, & deditonis ignarum protinus eō tendentem cum novo præsidio commeatuque Severinum Norbygium, profligant, DC. hostium desideratis. Quando Stegeholmense in Thiuftia expugnatum quoque fuerat castrum, & XXIV. Decembris Nykopense dedidit Henricus Ranzivius, marte compulsus Gustaviano. Quo certior factus die Petrus Fredagius de hostium Stocholmensium in sua castra eruptione, insigni delusifit illos stratagemate. Tunc etiam Abogiā erumpens felicius Thomas Regis Castellanus, Gustavianis clade illatā, viros quosdam nobiles abducit captivos, quos extemplo suspendit pro mœnibus, terrorem reliquis adversariorum incussurus.

Denique in castris Gustavi Sueticis, quod miles æream staneamque subinde monetam accepisset solutionem, tumultuatur, & fraus Gubernatori exprobatur, qui habito Sudescopiæ hujus rei scrutinio, quandam compræhendit ac suspendit Danum, qui secretò in caverna montis suburbani, multa cuditisset millia falsæ monetæ.

Anno MDXXII. ineunte, migravit de vita Stocholmiae Otto Arosiensium Episcopus, ubi haec tenus latuisset à Gustavi securus persecutione. Sed Gripsholmiae apud Carthusianos mortuus Jacobus, Upsalensium quondam Antistes, quinquennio per Gubernatorem Ecclesiasticâ privatur sepulturâ, quod Danis frequentem tulisset opem adversus Suantonem & utrumque olim Stenonem.

Atque hoc constitutus tempore Legatus Gregorii X. Franciscus de Potentia Hafniæ, in cædem inquirit Episcoporum Sueticorum, cuius Tyrannus culpam à semet remoturus, totam suasoribus tribuit Beldennachio & Slaghecio. Illum proinde captivum in Borenholmiam relegatum ibi submersisset, nisi Pontificiam formidasset indignationem: Et hunc Lunda vocatum, Hafnenfi sifit judicio, ubi de præfato accusatus scelere, damnatusque, XXIV. Januarii flammis consumitur. Nec istos tantâ plexu-

plexuisset pœnâ viros sibi obsequentissimos fidelissimosque, si Franciscus suo approbaslet calculo, prout Cornelius Scepperus in Apologia refert Christierni, cædem Epicopis Sueciæ irrogatam. Quamquam hæc frivola Tyranni excusatio, non magis illi profuerit quam Pilati tergiversatio, quo cum promeritas nunc luit dubio procul pœnas Christiernus.

Quandoquidem tanto Sueonum sanguine haetenus profuso non adhuc satiatus, hujus anni principio suis per rigidas mandaverit literas Capitaneis in Sueonia & Finlandia, ut quotquot Suecos nanciserentur patritios, fautores osoresque, simul omnes trucidarent. Quod illi laniones, vel potius latrones, sceleratum impigre mandatum executi, non paucos regni Optimates passim mactassent. Lanistæ tamen Abogensis crudeles evasit manus, Ericus Flemmingus, qui acerrimo in Gultavianos simulato odio, veniam impetrat Danicas in illos ducendi cohortes, & Sueonibus appropinquans, armis in Danos sequentes conversis, ipsos acriter impugnat. Hinc Thomas rabie correptus, postridie Antonium Ericium, & Stenonem Finlandiæ legiferum, in arce capitis afficit suppicio. Quâ magis tyrannie Gustavi sectatores exacerbati, Danis neque parcendum ducunt, & XXX. Januarii, deditam ab illis Arosiensium munitionem atque Oerebrogensem, demoluntur. Quam aliis quoquè arcibus inferunt cladem occupatis, eodem quo Ingelbertus olim ducti consilio, nè his amplius hostes in patriæ nidificant detrimentum. Verum paucis post diebus captum Tœnelsiogum Episcopi castrum Stregnensis, vetuit Gustavus demoliri, sua in illo armamenta securæ tradens custodiæ. Qui his potitus arcibus, Petrum à Valstad expedit Calmarniam impugnatum, subsidio Smalandorum adhibito, ubi per hostes repulsus obvios, in oportunius differt tempus obsidionem.

Sic Calmarniâ liberatâ, Severinus Norbygius Regis mandato Stockholmiam navigat, Danis opem & illic tempestivam laturus, quos desperationi proximos consolatur, de rebus abunde provisos necessariis, ac ipsos simul obsidione liberaturus, cum iis trinam facit eruptionem in totidem Gubernatoris castra, victorque remeat octiduo ante Pascha, Suecis hinc diffugientibus, & impugnationem aliquandiu deserentibus.

Indè autem velificat Norbygius Abogiam versus, cuius adventu territus urbis præsul Arvidus, & multi de Clero Proceribusque, navi festinanter consensâ, proram Sueciæ obvertunt, & huic appropinquantes, sub Oeregrundia fluctibus, prô dolor, obruuntur. Interea Abogiam delatus Severinus, arci suppeditat commeatum, hostem fugat & urbem cremat, Castellanoque mandat Thomæ ut victualia ex tota congreget Finlandia, & illa Stocholmensibus jam obsidione liberis quantocytus adferat. Hanc suorum Gustavus Upsaliæ commorans rescivit profligationem, & Stocholmensibus hujusmodi ex Oceano subsidium adempturus, suum expedit Lubecam Secretarium, Sivardum ab Hollen, classem milite instructam pro justis impetratum stipendiis, & cives de foedere in Danos secum pangendo sollicitatum. Ipsemet vero domi novo ex Dalecarlis ac populis regni arctois conflato exercitu, obsidionem restaurat Stocholmensem.

Ad Ecclesiastica deinde animum convertens paulisper negotia, vacantibus IV. regni Cathedris, totidem nominat Candidatos, suffragiis Cleri adhibitis. Etenim Upsalenfi Ecclesiæ præficitur M. Canutus, Gustavi Archigrammatæus; Stregnensi M. Magnus Sommerus; Scarenfi M. Magnus Haraldius; & Arosensi Petrus Jacobi, Stenonis quondam Cancellarius, quos suis protinus litteris Romam perscriptis, Gregorio commendat in officio confirmandos, benevolumque responsum ab illo Gubernator impetrat. Et quandoquidem prius rescivisset ipsum ac principes Germaniæ

perpe-

perfperam à Christierno infirmatos de Sueonum rebellione, Pontificem hoc simul tempore, orbisque Christiani primores luculenter per literas instruit, de cauſis ſuscepti contra Danum belli æquiflimis, & plerosque illorum infestos reddit Christierno propterea.

Verum tamen ille nec Dei neque hominum dicens rationem, quoslibet floccipendit adverſarios, & patrum Holsatosque ſibi præterea oppofiturus, Friderico ad colloquium vocato, Imperatoris monſtrat commissionem, ac contumaciter urget executionem, novæque fuſceptionem investituræ. Atque Proceres Holsatiæ vehementer obnitentes, ad obedientiam quodam compulſurus terrore, furcam pro illorum diverſorio mandat erigendam, & tamen conſensum ab iſpis nequaquam impetrat. Aliis quoque de cauſis fuit Christierno infenſus antea Fridericus, nimirum, quod licet hæres eſſet Norvegiæ, nihil tamen inde reditus ſibi permetteret, ut neque aliquem ex Dania concederet Ducatum ſibi velut Regis filio pro conſuetudine veteri competentem. Quod insuper administratæ à patre ſuo Holsatiæ, rationes nollet facere, nec illa centum millia aureorum persolvere, quæ Friderico promiſſa eſſent in diuſione provinciarum. Ac plures à tyranno expectans Fridericus injurias, Lubecenses illi pariter infestos in ſubſidium advocate decrevit, iſpisque mox foederalis, pollicetur quod nullas Regi laturus foret ex Holsatia in illos ſuppetias, ſpectator belli & neutrius auxiliator futurus.

Ad illud vero permovit Lubecenses gerendum Christiernus, inſvetis iſpos onerans in Dania veſtigalibus; inde prohibens mercium Vandalicis fieri emporiis adportationem; Sueticam iſpis vetans nullo jure negotiationem, ac illam propter naues mercibus onustas, crebro iis auferens, dampnisque ita mercatores intolerabilibus afficiens. Et quamvis Cæſar à Dano fraudulenter informatus, item vetuiffet armis proſequi, antequam à Commissariis eſſet diſcuffa, nuper deputatis ſub mulcta bis mille aureorum talentorum; Nihilominus quoniam Christiernus aliquot negotiatorum navigiis occupatis, illud primus eſſet transgrediuſ, arma cenſent liceſte ſibi in Tyrannum arripienda.

Itaque non poſtulatis ſolum Gustavi libenter respondent Lubecenses, iſpi X. inprimis actuariaſ, & deinde VIII, viris, armis & commeatu refertiſſimas, pro iuſtiſ destinantes ſalariiſ, ſed æſtatis initio XXX navium claſſe iſsimet Oceanum ingressi, Borenholmiam & Hammarhusium, illius occupant propugnaculum, indeque liberant Joannem Beldenachium, de iſpis alias bene promeritum; ideoque multa paſſus eſſet infortunia. His autem novis apprimè recreatus Sueciæ Gubernator, & porro advenientibus plurimum animatus copiis, partem illarum ad Stockholmia dirigit impugnationem, & reliquis Arviđo Vestrogotho commiſſis, jubet Calmarniam acriter impetere; Poſtea nuptos de plebecula exauctorat, domum ad agrorum culturam remiſſos, ſolis innuptis autoratis, militiæque pro ſtipendio ſecum reſervatis, ſicque felicius multo cœpit illi cadere belli alea, & proſperior Sueonibus reſ procedere.

Tanta Gustavo navalia ignorans Thomas Abogeniſ Castellanuſ adveniſſe ſubſidia, ſecurumque ſibi fore putans tranſitum Stockholmiam, Julio mense cum imperato commeatu, ex Finlandia affatiſ colleto, illam verſiſ navigat, quem obvia in maris fauibus captivat claſſis Sueciæ, illiqüe cum viſtualibus in caſtra perduto noſtratiuum, exprobraſt tyrranidem Gubernator, vitamque laqueo mandat eripiendam.

Christiernus tot cinctus hoſtibus, ſtatuit cum Holsatis & Vandaliſ mercatoribus concordiam inire, ut commodius rebelles ſibi compeſceret

siceret deinceps Sueones. Quamobrem initio Augusti, arbitris Brandenburgensi, Megapolensi & Stetinensi principibus, Raceburgenfique Episcopo, Borsholmii patruo his reconciliatur conditionibus: Inprimis, quod illo non fruiturus esset privilegio à Cæsare nuper imperato; nullas ab Holsatis suppetias flagitaturus contra Lubecenses; & reliquos controversiae articulos horum judicio principum, feriis Pentecostes proximis submissurus omnino decidendos. Deinde cum Lubecensibus agitur de pace, comparere nolentibus; à Rege decretum Cæsaris violatum contentibus, & inceptum bellum alacriter cunctuantibus, Helsingoraque inflamatâ, Hafniæ imminentibus. Cui latus auxilium Christiernus, ex Holsatia festinat in Selandiam, X. hominum millibus in via congregatis, quos post hostis abitum remisit domum, & cum Ordinibus de Suetico Vandalicoque deliberaturus bello; intolerabilem impositurus illis contributionem; Borsholmensemque insinuaturus transactionem, illis mandat edicto publicato, Calenburi ad XXVI. Novembris diem comparere.

Verum anni hujus primordio, Scanensibus obtrusit Antistitem, Jo-hannem Vesalium Clivensem, sibi à secretis, qui II. Februarii Lundiam ingreditur, quam ubi XIV. mensibus rexisset, ad profugum secessit Christiernum. Illius antecessor M. Theodoricus, natione fuit Vestphalus, & professione chirurgus, artemque exercuit illam diu in Latio ac Belgio, qui Daniam inde petens, promotione Sibritæ ad summos in aula Christierni transcendit honores, atque demum Scarensem & Lundensem obtinuit Cathedras versutissimus sceleratissimusque ille nebulo, ac dignum flagitiis sustinuit supplicium consultor iniquissimus.

Condidit & isto anno Danus quasdam constitutiones, minus æquas Ordinibus vias, inter alia decernens multa, ut regni Archiepiscopus, XX. solum stipatus incederet servitoribus; & quilibet Episcoporum X. vel XII. haberet stipatores; ac ne quis filium litteris traderet imbuendum, nisi per fortunas liceret proprias illum sustentare; qui exteris non aditus esset Academias, antequam primâ Philosophiæ laureâ foret Hafniæ redimitus.

Gustavus multò æquioribus intentus negotiis, mense Octobri, Stockholmiam ex propinquo quaternis longè vehementius solito impugnat castris, & Novembri Severinus obsecsis opitulaturus, V. navium classe urbem versus festinat. Cui obvians animose Gustavus, illum sociosque cecidisset, si Germanus fideliter miles adstitisset, cuius perfidiâ hostis fecurum petit redditum. Unde Stocholmenses sperato destituti auxilio, nec aliud veris ante primordia expectantes, urbis arcisque ditioni sub certis consentiunt legibus; Quibus à Gustavo non admissis, se defensioni accingunt, obmuniunt, & imbellem ejiciunt multitudinem. Grandi tamen postmodum inopiâ rerum prémuntur, ideoque civium non pauci clâm inde profugiunt ad castra Gubernatoris, quorum multi primas captando latebras in cœnobio suburbano, ab Antistita Danis favente produntur, & reducti ligneis ferris crudelissime puniuntur.

Quidam cum literis in Daniam missi, opem imploratum, etiam se perfugos simulantes, prodiit captive, horrendas luunt pœnas, & hostis sua delusus spe, gravissimas tota hyeme sustinet ærumnas. Ast Christiernus citra admonitionem sat memor Stocholmensium, propter domesticas non valet turbas illis pro tempore aliquod ferre subsidium. Etenim Dani Calenburgum vocati, non comparent, & suam excusant absentiam vento adversante, brumaque flagellante nimis, quod regiae non essent ignari voluntatis. Hinc Christiernus excandescens, alia indicit comitia, XXV. Februarii Viburgi celebranda, in quibus tali Danos lanienâ, quali Suecos

ante biennium Stocholmiæ , ad suæ obsequendum iniquæ voluntati , decre-  
vico nœllendos.

Anno MDXXIII. Præfules & Proceres Jutiæ , hanc metuentes tyran-  
nidem , inaudientesque binos à Christierno Viburgum lictores , satellitum  
habitu indutos , adductum iri , atque catenas strangulandis idoneas ho-  
minibus , Viburgum frequentes præveniunt , & conspiratione initâ , XX.  
Januarii , omnem Tyranno renunciant per litteras obedientiam ; scilicet in  
quibus æquissimas sui facti caussas enumerant , & ipsum ea lege suscep-  
tum pro rege , ut si pæctis non staret conventis , liceret Ordinibus citra crimen  
aliquid læsæ majestatis illum repudiare , luçulenter demonstrant ; severo  
pariter edicto promulgato , quoslibet Jutiæ borealis incolas , ad suscipien-  
da quantocytus arma in Tyrannum cum milite adventantem peregrinæ ,  
cædemque plurimorum meditantem , provocant . Qui mandato prompte  
auscultantes , frequentes convolant , & Senatus provinciæ voti hac ex  
parte compos factus , Daniæ totius Norvegiæque Ordines litteris invitat  
minacibus eandem ad rebellionem . Sed blandis Friderico Holsatiæ prin-  
cipi perscriptis , ipsum ad thronum invitant occupandum , unaque de-  
fendendum.

Christiernus porrò Jutorum nactus decretum , expavescit , & pro-  
tinus missis ad Consiliarios Legatis , obsecrat , nè causâ non auditâ , tam  
contumaciter secum procederent ; se judicio neutralium , & potissimum  
Cæsaris submittit ; emendationem promittit ; necem insontibus illatam  
agnoscit ; veniam poscit à Deo hominibusque , Romæ expiationem se im-  
petraturum , & sacris opes locis plurimas collaturum , atque sponsores  
obsidesque Ordinibus daturum , nequicquam spondet . Nam Optimates se  
nullum agnoscere principum extenorū pro judice perhibent , & pro-  
missis ejus fallacibus nullam amplius fidem se tribuere posse asseverant .  
Quo consternatus magis responso , ex Jutia remeat in Fioniam , & ipsius  
inhabitatores , sicut etiam Sielandos atque Scanos , novo sibi fidelitatis ob-  
stringit juramento . Illeque simul & conjux Isabella , expeditis ad cognati-  
tos , agnatos & affines , epistolis , suum lamentantur infortunium ; de  
Jutis queruntur , & hortantur ut ipsos suis impellant literis ad obedien-  
tiam legitimo Regi præstandam .

Princeps Fridericus interim oblatæ Jutorum postulationi XXVII.  
Januarii non ægrè consentit , Christierno infensus propter impetratum à  
Cæsare nuper privilegium , & contractum Borsholmensem , auro pro-  
misso nec dum numerato , executioni non mandatum , aliasque Tyranni  
molitiones . Proinde bellum ipsi denunciat , Jutos sub protectionem ac-  
ceptat , cohortes aliquot illorum defensioni Ripam destinat , & fœdus cum  
Lubecensibus XV. Februarii pangit in hostem , datis acceptisque pro-  
missis de auxilio terra marique vicissim ferendo . Quod Lubecenses eâ  
fanciunt cautelâ , ut non sint obligati Danis in Sueones amicos ullâ ratio-  
ne opitulari . Quibus tamen amicè suasuri essent admissionem Friderici ;  
non tamen unâ compulsiuri abnuentes , vel subsidio illos defraudaturi .

Gustavus ideo Danorum haud subveritus machinationem , & illo-  
rum dissensione , Christiernique per ipsos proscriptione confortatus , non  
Sueciæ solum maturat subactionem , sed Vichiam quoque Norvegiæ pro-  
vinciam subditurus Gothiæ , velut pignus illius vetustissimum , mense Fe-  
bruario , per magnanimum virum Laurentium Siggonis illuc cum exer-  
citu destinatum , hanc occupat , suoque firmat præsidio Carlsborgum regio-  
nis propugnaculum . Qui mandato posteà Gubernatoris , indè Hallandiam  
& Scaniam versus festinat , quas ad Gothiam legitimâ pertinentes e-  
tiam

## TOMUS QUINTUS.

II

tiam jurisdictione subjugasset, nisi largâ retardatus eluvione, viætrices domum copias reducere fuisset pro tempore compulsa.

Interea post abitum ex Jutia Christierni, Fridericus illuc accessit, & sub finem Martii, ab Ordinibus Viburgi concorditer fuit Rex salutatus, quibus insignia dedit privilegia, veteribus confirmatis, constitutiones Tyranni abrogat; Borenholmiam, Ahusium, & Cathedram Fionensium Clero restituit; furcas palosque à Christierno passim erectos dejicit; insontium cadavera sepelit, ac reliquis Danorum Norvegis Suecisque de sua prescribit electione, ipsos ad eandem hortans sibi præstandam. Sed à plurimis illorum, & præsertim Sueonibus, fuit reprobatus, Danorum jugo cervices amplius suas haudquaquam onerandas serio contestantibus. Juti tamen australes & Fionenses juramenti nuper præstiti Christierno immemores, ad partes secedunt Friderici, exercitu illius prægrandi à Lubecensibus & Holsatis ad ipsum destinato perterriti.

Ipsem etiam Christiernus conspiratione Jutorum, Holsatorum & Lubecensium, Sueonumque rebellione examinatus, paulisper furores illorum declinare, in Belgum secedendo, consultum duxerat. Itaque Hafniam & Malmogiam, primarias regni civitates, suo conservaturus redditui, necessario illas firmat præsidio; thesaurum Daniæ congestum XVIII. na-  
vium classi, uxoremque liberos & amicos imponit, quos inter Sibrita, pro Scondiæ throno, Consulis munus Amsterodamenis illi delira promittens, & XX. Aprilis ex portu solvit Hafniensi, multa jactatus tempestate, antequam pertingeret in Flandriam. Illic suscepitus benigne à Maria conjugis amita, de suo prescribit infortunio ad Imperatorem, in Hispania morantem, qui mox prohibet Friderico sub pœnis delatum acceptare gubernaculum Daniæ, & civibus vetat Lubecensibus illi auxiliari, donec controversia ad forum devoluta Spirensse, ibi esset ventilata & determinata.

Lubens profectò Carolus armis sororium protinus restituisset extorrem, nisi aliis intricatus bellis, & potissimum religionis in Germania dissidio, nequaquam valuisset. Brandenburgus autem & Saxo, Megapolensisque, amicam suadere transactionem, & nonnulli hoc de negotio per sequens habiti biennium inter partes frustra conventus. Verum Christiernus marte potius, quam arte, Scondiam malens recuperare hoc anno in Angliam profectus, ab Henrico mutuum poscit belli nervum, Islandiam in pignus deferens, opeque illic non impetratâ, Brandenburgensem sollicitat Electorem, & alios Germaniae principes, à quibus quoque non nihil subfidiis consequitur.

Cæterum Severinus Norbygius, fugâ Christierni auditâ, de Suetici continuatione belli desperat, Calmarnensique defensione. Quamobrem hinc copias in Gotlandiam traducit & Calmariæ demandat conservacionem LX. solum præsidiariis, qui nimium ab hoste pressi, deberent cives occidere; urbem & arcem opibus spoliatas incendere, atque divitiis onusti in Gothlandiam profugere. Fridericus etiam cognoscens ex Dania Christiernum navigasse, Hafnienses octiduo secundum Paschæ follennia, hortatur ad ditionem, & repulsam passus, X. Junii obsidet civitatem. Profugit porrò cum rege Johannes Vesalius Lundensium antistes, & M. Acho Sparre, priori fretus electione, vacuam occupat Cathedram; Tamen confirmationem, Romæ non impetrat à Georgio Scorborgio impeditus, quam iste, consecrationemque à Clemente VII. fuit affæctus, non Ecclesiæ possessionem, à Friderico collatam Achoni. Unde Scorborgius Coloniæ de honesto provisus beneficio, ibi religiose consenuit, vitamque finiit. Atti Vesalius, promotione Cæsaris & Christierni, Episcopam deinceps adeptus fuit Constantiensem. Johannem verò Beldenachium, hoc regni tumul-

## CHRONOLOGIAE SCONDIANÆ

12

**t**u captivant Ranzovii, propter cædem Ottonis Porsfeldii, quondam Episcopi culpâ patratam, extorquentes variis ab illo cruciatibus bina aureorum millia, Friderico connivente. Ipsi tamen liberatus spondet fidelitatem, & Fionensem recipit diœcesin, quâ sexennio fuisset privatus. Nidroiensis demum Ecclesia, hactenus post abitum, & obitum Valchendorpii, præsule orbata, nunc Olaum Engelberti nanciscitur primatem.

Abogensis in Finlandia præsul fuit aliquandiu post Arvidi mortem Johannes Westrogothus, & illo per Gustavum remoto, M. Ericus Decanus Lincopensis illâ potitur hoc tempore Cathedrâ. Ita VII. Ecclesiis regni Sueticî Cathedralibus de pastoribus fuit provisum, qui sedulam licet operam navarent, nè in svas invehernetur diœceses D. Martini Lutheri sententia; tamen Stockholmiam, Sudercopiam & Calmariam, tenui quodam hæc tenus rivulo fuerat derivata, idque per negotiatores exoticos, qui libros simul Lutheranos cum mercibus invexerant, & militem peregrinum, si-  
cut etiam studiosos indigenas Vitebergâ reversos.

Illorum verò antesignanus fuit M. Olaus Petri Neritanus, qui ordinatus Stregnesiæ Diaconus, Vitebergam proficiscitur, ubi Lutherum aliquandiu tam sedulo auscultavit, ut MDXVIII. supremâ Philosophiæ laureâ fit donatus, indeque reverius, Canonicus Stregnensis, & præsulis evaserit Matthiae archigrammatæus. A cujus obitu naëtus per absentiam Beldenachii oportunitatem, in illa politiæ utriusque perturbatione, occœpit se amicis Stregnesiæ clanculum prodere; ipsis Vitebergensium assertiones detegere; icripturæ aliquot sacræ paginas suo accommodas proposito, iisdem prælegere; codicesque Lutheri volvendos concedere. Sed præcipue Laurentium Andreæ illic Archidiaconum, conatus est M. Olaus huic caussæ adictum reddere, illumque auditorem, fautorem & defensorem adeptus, hanc audacius controversiam incipit adversariis movere, ac in schola docere Stregnensi, quam Laurentii patrocinio fuerat consecutus.

Immò & facultatem naëtus, palam in Ecclesia Stregnensium concionandi, sensim ex suggesto sequentes inprimis sparsit articulos: I. Annam Christi aviam fuisse, non potest è sacra probari scriptura. II. Nulli monachorum mendicare permisum est, juxta illud: omnino indigens, & mendicus non erit inter vos. III. Sancti non sunt invocandi, cum prohibeat Deus per Hieremiam ponere fiduciam in homine. IV. Officium prædicationis in Ecclesia est excellentius, quam celebrationis. V. Confraternitates, velut non fundatæ in sacris literis, sunt explodendæ. VI. Peccata Deo soli, non homini, confitenda. VII. Nemo hanc Evangelii doctrinam Suecis, ante ipsum usque puram anunciauit.

His respondit mox assertionibus, Doctor Nicolaus Stregnesiæ Decanus luculenter, & M. Olaus nihilominus per se discipulosque tantoperè illas cum reliquo Lutheri dogmate defendit, ut hæc ad Gubernatoris per-  
veniret aures corixatio, qui concionibus partium auditis, dubius hæsit. Verum ab illo consultus hac super controversia M. Laurentius Andreæ, ip-  
sius nuper factus Cancellarius, totam Lutheri caussam dogmaque Gustavo manifestat, & quantas nonnulli Germaniæ Principes illud amplexi, ex suo corraserint Clero divitias, huic minus necessarias, demonstrat.

Non tamen his omnino persuasus fuit Gubernator Laurentii sermonibus, antequam ex Germania petitam naëtus esset informationem copiosiorrem, illaque probè intellectâ, secretus hujus fautor negotii & promotor aliquandiu extitit, donec adversariis prævaleret. Quorum acerrimus fuit Johannes Braschius Ostrogothiæ Antistes, qui alios regni Episcopos nec dum inauguratos, præter Wexionensem, continuo hortatus ad ponendum Lutheri sequacibus obstaculum, veteremque conservandam religionem.

Atta-

Attamen indies capit incrementum M. Olai molitio, quod relatione Joannis Gothi, sui quondam in Academia Lovaniensi auditoris, aliorumque sermone, Papa Hadrianus VI. cognoscens, ad pontificatum nuper sublimatus, illum in Sueciam destinat Nuncium, hanc sementem exstirpatum, & causam Gustavi Archipræfus, cæforumque Antistitum, liquidò exploratum. Quocirca XI. Martii, Legatum suis literis Braschio fideliter commendat, eidemque propter navatam hactenus Ecclesiæ Catholicae operam, magnopere gratulatur, hortaturque ad pergendum in novi dogmatis exstirpatione.

Hinc nequaquam M. Olaus cum pusillo territus grege, æmulis audacter se opponit, quorum postremus non fuerat quidam Claudius Huit, Dominicanus Calmarniæ Monachus, & Catholicæ vehementissimus defensor religionis, cuius nomine Braschius ipsi nunc etiam atquè etiam gratulans, præfatos M. Olai articulos scriptumque Lovaniensis & Colonensis Academiarum, adversus Lutherum illi destinat.

Nec solum literatis se chartis vicissim impetunt Catholicæ hoc anno in Suecia & Lutherani; sed etiam dentatis ac famosis adeò, quod levis illa hactenus velitatio, ad publicum modo bellum procederet, quo patria non minus quam politico aliquandi uehementer flagravit. In quo tandem Olaus prælio, regia plurimum adjutus potestate, victoriam consequi fertur, sibique cognomentum Phase deinceps usurpat, quod se ductore, velut Moysi olim Judæi, de pontifica transisse Sueones Ægypto; & lampadem pro insignibus acceptat flagrantem, quod de choro se vigilantium esse virginum, non fatuarum dormitantium, Evangelique lucernam sub modo tot seculis absconditam, in publicum se conspicuum produxisse asseveraret.

Calmarnenses, interea temporis, de impio Severini mandato edocti, occulto in castra Suecorum nuncio expedito, pridie Pentecostes, significant quartâ exinde nocte portam se borealem illis patefacturos. Hinc nostrates exhilarati, tempore noctis condicto, ad occidentalem & australē simul turbis portas invasionem, atque per septentrionalem intromissi, præsidarios captivant superatos, arcemque impugnant, octiduo post deditam. Victores deinde citra moram Oelandos adorti, ad obedientiam illos Suecorum non difficulter revocant, & Borcholmum recuperant. Postea vehementius Elsburgum oppugnatur, & Junio mense occupatur.

Itaque Proceres regni, thronum nemini jure potiori quam Gustavo, propter vindicatam de hostium manibus patriam hactenus totam proponendum, competere animadvententes, illi suadent Ordinum Stregnesiæ convectionem. Illic verò primum ex Ecclesiasticis & politicis optimatibus, Senatus regni per tyrannidem Christierni exhaustus, restauratur, ac nova ideò imponitur argenti contributio, moxque exigitur, Lubecensium solutioni applicanda. Deinde Gubernatori concordibus omnium suffragiis XVII. Junii regia confertur authoritas, ac præstito utrinquè fidelitatis juramento, sub Stockholmiam Rex perducitur novus, & cum hoste super urbis agitur ditione.

Is rerum laborans omnium penuriâ, & nulla expectans à Rege subdia profugo, urbem arcemque non Gustavo, sed Lubecensium ibi primoribus illa pandit astutiâ XXI. Junii, quod ipsos velut Friderico fœderatos consideret, illi Regiam Sueciæ potius quam Gustavo tradituros. Verum Danos, insidiosa fecellit opinio, cum Lubecenses protinus Stockholmiam regi Gustavo assignaverint, quam eques post biduum ex suburbio ingressus australi, ab incolis promerito excipitur honore.

Quando Lubecenses & Gedanenses, quorum opera Gustavus in maritima Stocholmiae fuisse usus impugnatione, pro exhibitis poscunt subfidiis LX. marcarum millia; solutioni tamen concedere dilationem parati, dummodo vetera ipsis privilegia confirmare, & nova quædam donare, Princeps non gravaretur. Itaque cum ille Senatusque haud nunc essent solvendo, mercatorum pro tempore voluntati, municipiis regni licet admodum perniciose, consensum præbere coguntur. Inter alias non parvi momenti prærogativas, Lubecensibus & Gedanensibus sociisque, immunitatem à quibuslibet in Suecia vectigalibus concedunt pendendis; illis solam in regno permittunt negotiationem aliarum mercatoribus gentium exclusis; Et in IV. primariis Sueciæ maritimis emporiis, Stocholmiæ nimirum, Sudercopiæ, Calmarniæ, ac Abogiæ, non cum incolis modo, sed etiam accolis, Clero, Nobilibus, & agricolis, mercandi faciunt protestatem. Quarum impetratio libertatum, ut fuit violenta, ita usuratio illarum non potuit esse diuturna.

His proinde creditoribus sic contentis modo redditis, quamvis Rex Gustavus, aliis ex Germania cohortibus simul exautorandis, sine nova clero imponenda contributione, potuisset stipendia persolvere, tamen cum sciret ipsum, Ecclesiæ atque cœnobia multo abundare thesauro, & præsertim sacrâ magni pretii supellectile; ærarium verò regni fermè vacuum existere, ex quo crebris identidem patriæ necessitatibus foret nihilominus succurrentum, simulque tantam Præfulum suspectam haberebatur opulentiam & potentiam, velut suo inimicam voto, de fidei permutatione introducenda, hoc, præcedenti ac sequentibus annis, immensis Clerum, Sueciæque emunxit Ecclesiæ opibus, sub prætextu militi potissimum, & Lubecensibus solvendi, extortis, solutione promissa; Verum ad Græcas numeranda Calendas.

Quem Clerus dolum subolfaciens, Regi magnopere succenset, & præcipue Braschius, qui plus aliis emunctus, vehementer contra regem Gustavum insurgit, reliquos instigans Episcopos, & Regem coram legato Pontificis Johanne Gotha, regnum nuper ingresso, avaritiæ hærefoeosque accusans. Sed Petrus Arosiensium Præful adeò excanduit, ut litteris ad Montanos & Dalecarlos perscriptis, uberrimam rebellionis in regem Gustavum jaceret sementem, fædisque afficeret convitiis.

Verum enimvero hujusmodi princeps non magnopere curans molitiones, peregrinum solutione contentum dimisit militem, bellaciores ex illo viros solum in Suecia retinens, quos indigenis conjunctos expedivit in Blechingiam, ad Sueones veteri quodam jure spectantem, armis recuperatos. Illam tenuit subactam rex Gustavus biennio; & tamen à Friderico Hafniam impugnante, amicissimis obsecratus litteris, ad ferendum Borenholmiæ recuperationi auxilium, XVII. suppeditat actuarias milite instructissimas, quarum ope Danus insulâ fermè potitur. Quas tali cum victoria sub autumnum reversas domum, & navibus epibatisque plurimum auëtas, circa XXX. Septembribus in Finlandiam ablegat, à quibus Chnusto, Episcopi castrum, protinus fuit expugnatum, & deinde Abogia, Viburgum, Tavaстahusium, Rasburgumque, cum reliquis provinciæ arcibus, Christierni prædiariis eripiuntur. Quamobrem de secura regionis possessione rex Gustavus jam sollicitus, solumque veritus Moschum, nuncio ad ipsum expedito, conventum impetrat de pace constituenda propediem celebrandum.

Fridericus verò Daniæ intentus viriliter subactioni, Scanos ad obedientiam pertraxit, exceptis Malmogensibus, quos mensibus aliquot obfidet, & interim operâ Vincentii Lunge, ac Nicolai Lycke, Norvegis persuas-

persuasit subjectionem, quam Bergæ V. Augusti die, litteris Senatus regni confirmat, veteribus fruiturus legibus & privilegiis. Sed Olaus Galle Procerum unus, jugum detrectans Danorum, in Sueciam profugit, Gustavo potius thronum fortassis, quam Friderico, annuens.

Atqui Christiernus utrumque Patruo erupturus, ingentes cogit in Germania copias, quibus Fridericus occurfurus, Hafniensi demandata obsidione Christiano filio, LXXX. hominum millia producit ad limitem, ibique hoste non comparente, illa dimisit. Nam Tyrannus suum animadvertisens exercitum non nisi acceptis stipendüs, hosticum invadere paratum, tantoque belli nervo carens, ab illo clanculum se subducit, qui actutum quoque dilapsus, Christiernum execratur.

Sequenti etiam octennio pecunius destitutus, bello supersedit, & Imperatori animus ipsum juvandi defuit, postquam illum justissimis de causis, propter tyrannidem, Scondiæ folio exturbatum cognovisset, hominemque videret esse inconstantem, utpote qui Catholicum se in Belgio, & Lutheranum in Saxonia profiteretur. Illi tamen, uxori ac liberis de honesta providit sustentatione, hisque præceptorem assignavit Cornelium Agrippam, quavis conspicuum eruditione virum.

Severinus interim Norbygius Christierno fidelissimus perstitit, qui totam regii culpam infortunii, Lubecensibus, Suecos, Danos & Holsatos velut permoventibus ad rebellandum, ac promovoentibus, imputans, ipsis piraticâ gravissimum hac æstate damnum intulit, in Gotlandia refugio identidem captato, mercibusque illuc immensis deportatis. Illorum verò motus querelis Fridericus, frustra ipsum ab hujusmodi dehortatur prædationibus. Ideoque Lubecenses, missi in Sueciam Legato, Gustavum invitant ad pellendum ex insula Sueticæ jurisdictionis tantum prædonem, & ipsam regno iterum subjiciendum, ac prætendenti bellis se exhaustum, ære oppressum alieno, præcipue quidem apud ipsosmet Lubecenses, & periculum esse, nè Gotlandiam repetens, totam amitteret Sueciam, aut saltem Danos quodpiam sibi jus vendicantes in Gotlandiam, ad bellum Suecis inferendum ita provocaret, respondent, solutionis dilationem annis non paucis se concedere paratos; Si Danis insula deinceps esset restituenda, ipsos impensas in hoc factas bellum, dimidias refusuros, & reliquas se compensatueros. Immò si filiam posceret Friderici Gustavus uxorem, ipsi, velut genero exoptatissimo, cunctam Daniæ, si quæ esset, jurisdictionem in Gothlandiam, dotis nomine, lubens assignaret.

His Suecus rationibus & promissionibus inclinatus, desiderio Lubecensium obtemperat, ac in primis Severinum amicè permoturis ad resignationem insulæ, XVIII. Octobris, familiaribus illum literis sub fide publica, obsidibus insuper acceptis, ad colloquendum secum invitatis, & præcise abnuenti, bellum parat vere proximo inferendum.

Sed, mense priori, Rex Gustavus literas nactus Arosiensis Episcopi ad exterios perscriptas, & à regiis interceptas præfectis, ad ipsum festinat Arosiam, accusat palam criminis in majestatem regiam admitti, convitumque privat officio & beneficio, atquè simul M. Canutum illic Præpositum sceleris velut complicem. Hanc tulit ægerrimè Clerus Suecæ depositionem, cuius querimoniis, & potissimum Braschii, Johannes Gothus impulsus, Regem admonet, nè avitam desereret religionem, Lutheranis faveret, Ecclesiam exauriret, opibus pietate majorum donatam, & concepto subscriberet diplomatis tenori, prohibendo Sueonibus sub vitæ ac bonorum amissione, Lutheri doctrinam amplecti, vel libros in regnum invehere, aut legere per eundem conscriptos.

A Rege autem adeptus responsum negotio competens, & temporis ser-

serviens, M. Olaum ac sectatores in judicium vocatos, hac etiam super re multis compellat verbis; dogma vetat illud spargere, libellosque conscribere famosos, & ad gremium mandat ut se reciperent Ecclesiæ. Braschius tamen hac in causa Legato fuit zelosior, non discretior, qui propter nimiam erga Evangelicos conniventiam illi quodammodo succensuit, respondenti, se vulnus Ecclesiæ cognovisse, ac posse commodius extra patrīam illi cataplasmata præbere, ex qua modo abiturus esset, & illam anno sequenti repetitur, vel effecturus, ut totum religionis patrociniū Braschio committeretur, suadens interim à convitiis abstinentum, quod illa plus obessent quam prodeßent, idemque promitterent adversarii, Lutherò etiam imposterum tantopere non patrocinaturi.

Nihilominus apud Gothum Braschius instat, urgens M. Olaum complicesque, vel hæreseos omnino absolvendos aut damnandos, & in quavis constituendos diœcesi censores ac inquisitores religionis, presribensque XVIII. Julii ad ipsum de fiduci negotiis simul Pontificem. Vastenensium vero cœnobitarum peculiarem gerens curam, post biduum illis libellum destinat contra Lutherum in Germania editum, simulque assertiones M. Olai, de ipsis censuram desiderans monachorum, iisdem propediem Regis Angli librum destinaturus.

Verum Legatus in procinctu ad abitum constitutus mense Octobri, cœpit causam diligenter examinare Gustavi Archipræsulis, Mathiaeque ac Vincentii Episcoporum cœdem ponderare, atque illum fontem depræhensum, tali pronunciat officio indignum, ipsos comperiens infantes, nefarii Christiernum homicidii accusat. Rex proinde alium Upsalensisibus antistitem provisurus, & Johannem illo reputans munere dignum, jam abiturientem, vocatis Upsaliâ Canonicis Stochlmiam, XXIII. Novembris, in Archiepiscopum procurat eligendum. Qui triennium quodam usus Vincentio Gadeni Choropiscopo, & frater Electi Primatis, M. Olaus, Lincopensium & Stregnensem Præpositus, mox Romam missus, Clementem VII, qui Adriano nuper defuncto successisset, de negotiis in Suecia expeditis informatum, fratrisque confirmationem impertratum.

Denique Gustavus cum Ordinibus ardua quædam regni negotia deliberaturus, illos congregavit mense Octobri, quando ipsos de bello Gotlandis inferendo consuluit, & Braschio de violata immunitate Ecclesiastici protestanti, ut eum sibi Rex placaret, ab illoque novum pro expeditione Gotlandica subsidium impetraret, omnia cofirmat privilegia, ipso cum possessionibus ac servitoribus sub regiam suscepto protectionem.

Postea vero Sudercopiam quoque Ordines fuerant votati mense Decembri, & horum illic consensu æquissimas typis promulgat causas Gustavus, exturbati ex throno Suetico Christierni. Quod ipsum anteā fecerant Dani & Lubecenses, hisque respondit antigrammatibus Cornelius Scepperus Beilini anno sequenti jussu Tyranni, in hujus frivolam multa comminiscens excusationem paradoxa.

Sudercopia Sueones ad comitia properant Vastenensia, in quibus multiformiter fuit disputatum de statu Reipublicæ utriusque, & vitiosum Christierni numisma abrogatum. Sed hoc tempore Hafnienses & Malmogenses in Dania promissum non obtinentes subsidium à Christierno, nec diutius obsidionem sustinere valentes, in fine hujus anni, Roschildiæ cum adversariis congressi sunt, ibique sufficienti acceptâ cautione, de offendarum condonatione atque privilegiorum roboratione, promittunt se festo Epiphaniæ civitates dedituros. Fridericus ita regno potitus universo, Clementem VII, Angliam, & Gallum Cæsaris hostem de injusta Christierni prius informatos causa, suas ad partes conatur illos pertrahere.

Anno

Anno M. D. XXIV. Illi, aliquique orbis Christiani quidam principes, secus multò hāc super controversia per Christiernum instructi, nimirum Clemens VII, Carolus V, Ferdinandus Bohemiæ, Henricus VIII Angliæ, Reges, Ferdinandus Archidux Austriæ, Margareta Burgundiæ domina, Fridericus Saxoniiæ, Joachimus Brandenburgensis, & Henricus Megapolensis, Duces, æquos se partibus arbitros offerunt, ac diem locumque colloquio idoneos, poscunt assignandos. Itaque Fridericus hac de re cum Rege Sueonum prius deliberandum sentiens necessarium, Februario mense, illum perhumaniter invitat secum alicubi collocuturum. Quem ipse non abnuit congressum, & suis domi rebus provisurus, ex suoque de Moschovia nuncio jam reverso, cognoscens illius principem à pace non alienum statuenda, Legatos ad eum destinat, & aliquot inducias annorum impetrat.

Sed Ecclesiasticis invigilans Braschius negotiis, XXIV. Februarii, Ecclesiam cœmiteriumque expiat Alvastrenſia, cæde Abbatis contaminata. Quod ipsum obiit deinceps munus in cœnobio Nydalensi, submerso Johannem Arvidum Abbati subrogatum pariter inaugurans. Atque inaudiens M. Laurentium Andreæ, nuper literis hortatum suis Västenenses Cœnobitas ad lectionem Lutheri, secundum illud: *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Multis ille rationibus illud Monachis dissuadet, quos simul consolatur & ad constantiam hortatur, queriturque aliis protinus literis, Doctori Nicolao Stregnenſium Decano propterea, sicut etiam de nimio Lutheranismo progressu, hujusque se arbitratum esse in regno inhibitam fuisse promulgationem, affirmat.

Neque his contentus, affixo per diœcesin mandato, prohibet incolis, & potissimum Sudercopensisbus, sub damnationis æternæ comminatione, nè libros inferrent, emerent aut legerent, Lutheri, & contrarium facientes plecterent atque mulctarent, donec in generali esset concilio dogma illud ventilatum; *Hæc scribo, inquiens, Vobis, ut cum omnes coram Deo judice comparnerimus, nullam habeatis excusationem.* Verum prius Regem his de rebus compellavit Braschius, asserens in primis suæ thesaurum Ecclesiæ, tot contributionibus adeò exhaustum, ut pro Gotlandiæ recuperatione, ad suam spectantem Episcopam, postulatum non posset ferre subsidium; Et obsecrans, nè Lutheranis se præberet asylum; sed illorum libros prohiberet Sueonibus legendos, donec Oecumenici sententiam concilii de ipsis perciperet, ita Dei amorem, & apud Christianos honorem principes, amplissimum consecuturus foret.

Similiter ad Johannem perscripsit Archipræfulem, illum monens, ut sua uisu auctoritate, hos tempestive opprimeret novatores religionis, alias sero medicinam parandam, cum mala per longas invaluere moras.

De his etiam certiorem facit Doctorem Petrum Magni, nominatum cathedrali Arosiensis Episcopum, Romæ agentem, affirmans operæ preclum esse, ut regi Gustavo quantocuyus Pontifex de hoc, & toto religiosis scriberet negotio, constitueretque hæreticæ pravitatis diœcesi qualibet inquisitores. Tandem reficiens Västenensem quosdam cœnobitarum, existimare in hac causa Regi non nihil gratificandum suffragandumque, datis illuc literis, negat in fidei negotio simulandum, siquidem dicat Salvator: *Qui non colligit mecum, dispergit; Et, qui negat me coram hominibus, negabo illum coram patre meo.* Ac, nolite illos timere, qui corpus occidere possunt, animam vero in gehennam mittere nequeunt. Indulgentias autem XL. dierum, Sunderbogensibus concessit, sportulam si fideliter liberaliterque monachalem solverent Novevallenſium Abbati, cœnobium restauraturo.

Quid porro reliqui Sueonum Episcopi, cum Archiepiscopo, in hac e-

gerint religionis controversia, non multum deprehendo. Ast in Dania comperio Antistites, conjunctis viribus, se Lutheri conatibus opposuisse, idemque inferiores factitasse Prælatos; quorum Eschillus Andvorschogensium Abbas, intelligens M. Johannem Thausonium, ex concione triduo ante Pascha coram Monachis habita, Luthero patrocinari, exemplò illum destinat Viburgum ad aliud ejusdem ordinis cœnobium, ubi quadriennio Concionatorem Professoremque egit, abstinentesque ab inventivis, non proditur.

Atqui Sueciæ Rex à suo parum dimovetur proposito, Johannis Braschii propter molitiones; Attamen nè cæteri regni Præfules inauguratione donati, collatis auxiliis & consiliis, unanimiter sibi resisterent, ipsorum remoratur confirmationem, consecrationemque.

Interim verò suam promoturus intentionem, fideique innovationem, & Præfules humiliaturus, viros doctrinâ insignes, Vitebergâ reversos, passim intrudit Ecclesiastes, quorum primarium M. Michaëlem, deputat parochum Stochomensibus, & vocatum Stregnesiâ M. Olaum veris initio, iisdem Syndicum, Doctoremque pariter Lutheranismi, novo ipsi fabricato in Ecclesia urbis primaria suggetto, constituit; Ex quo in Catholicos, quod M. Olaus invehernetur minus discretè, plebecula veteri adhuc addicitione religioni, zeloque & furore accensa, eum vocat per convictum ex corbe Olaum, lapidibusque certatim projectis, inde aliquoties profligat. Nec Rex his pro tempore avocatus à proposito, Monachos ac præsertim Dominicanos suis passim adversari quoque votis non ignorans, ut hanc ipsis tolleret occasionem, suæ addictos causæ illis Priors deputat. Ideoque Nicolaus Andreæ præficitur Arosiensibus, inde Roberto Norvego, propinquos ad tumultum Montanos, ob religionis immutationem, commovente, proscripto.

Sed generalem totius Ordinis visitatorem facit Martinum Schytte, Sigtunensium Priorem, genere nobilem, & fautorem Lutheri probabilem, edito mandans publico, intra XXIV. Junii diem, omnes Dominicanæ professionis alienigenas, regno excedere. Braschio similiter respondet, protestans se Lutheri haud posse libros jure explodere, cum à legitimis nec damnati adhuc forent iudicibus, & adversum illos scripti peregrè inferrentur codices; Ideoque si æquam de hac lite sententiam vellent Sueones proferre, utrosque oporteret habere assertores. Deinde refugium se Lutheranis ex officio præbere, velut suis subditis, donec aliqui essent erroris aut facinoris convicti, quando etiam suo non defuturus esset muneri.

His belligerans Rex Gustavus modis cum Braschio, aliud parat bellum in Visbyenses, novisque à Clero Sueonum in hanc expeditionem subsidiis extortis. A Västenensium quidem Antistita, suauis Johannis Gothi simul permota, argenteum S. Catharinæ loculum, ex illo monetam signaturus, obtinet, fabricatum ē CCCXL. argenti libris, & CLX. aureis Ungaricis magnifice incrustatum, indubiam spondens, & nullam rependens solutionem.

Rebus proindè quibuslibet huic necessariis profectioni dispositis, per hyemem, VIII. Maji die, infesta petit classe Gotlandiam Bernhardus à Möllen, hujus deputatus Polemarcha militiæ. Merebat is anteā sub Christiano stipendia, & Stegeburgensis fuit Castellanus, castroque per regem Gustavum subacto, ad ipsius concessit militiam. A quo in regni adoptatus Senatum, conjugem nançiscitur Margaretam prænibili ortam Sueciæ prosapiâ, insignemque regi Gustavo navat aliquandiu operam. Qui delatus XIX. Maji in Gotlandiam, haud difficulter insulam ad Suecorum revocat

vocat obedientiam, & urbem arce inque gnaviter bimestri temporis spacio impugnat, à Severino & commilitonibus non minus fortiter defensas.

Tamen Norbygius se diu Sueonum potentiae nequaquam posse obfistere considerans, & sera expectans à Christierno subsidia, Danis per literas secreto, suadentibus Visbygium protectioni submittendum Friderici, obtemperat, missoque in Daniam nuncio cum literis vicissim. XIII. Junii, hac illud conditione assignat Danorum potestati, quod ipsum nihilominus ille retineret, ac suis Fridericus armis hostem ex insula submoveret.

Quamobrem Danus, Gotlandiâ Severino, velut suo jam vasallo, permisâ, Sueones illic marte non audens impetere, quod multis foret alias hostibus expositus, opera Lubecensium obtinet Regis Gustavi denuo, assensum de conventu Malmogiae, Calendis Septembbris, Suecos & Danos inter hac super controversia, aliisque, in sua, Gustavique præsentia, celebrando. Quod per Regem protinus cognoscens Norbygius, Bernhardo ad colloquium vocato, suasit interim propterea oppugnatione supersendum, induciasque ita nauctus citra Gustavi voluntatem, & utilitatem, Bernhardum ceu veterem congerronem, atque commilitonem, non difficulter à Sueco penitus alienavit, exercitu Suetico indignante, ac Bernhardi perfidiam meritò detestante.

Nec vero quorundam absimilis est sententia, arbitrantium, Severinum Christinæ matrimonium, & Sueciæ gubernaculum affectasse, illud, quoad Nicolaus Sture adolesceret, moderatus, hucque non Bernhardum modò, Christinæ patruei junctum connubio; sed etiam Sueonum plurimos, Regi Gustavo, propter religionis immutationem oppidò infestos, conspirasse, ideoque Bernhardum tam facile Visbyensem deseruisse oppugnationem.

Rex Gustavus horum ignarus omnium, studiose conquirit documenta, jurisdictionem Sueonum in Gotlandiam, Vichiam & Blechingiam, asserentia, sibi pro Malmogensi necessaria colloquio. Quando literis obsecratus Laurentii Compepii, à Clemente VII. ad Norenbergensia destinati comitia, ut Francisco de Potentia Episcopam conferret Scarensem, illi fortassis à Christierno anteā promissam, quod infidelius cædem discussisset Stocholmensem, XXII. Maji, respondet, Gothos cum incomparabili suo expertos detimento, Slaghecum peregrinum Antistitem, alicum non desiderare alienigenam; quandoquidem idoneos haberet quoque indigenas.

Quo etiam tempore amicitia & militia delectatus Regis Gustavi Comes illustris, Johannes ab Hogia, Jodoci filius senioris, ad ipsius se contulit aulam, multo fortunæ beneficio. Verum suam Fridericus hoc tempore maturat inaugurationem, ab æmulis se difficilius ita throno exturbandum confidens, postquam regiis Daniae foret insignibus decoratus, & illam VII. Augusti, Hafniæ celebrans, à Gustavo Sueonum profugo Archipræfule, impositum capessit diadema. Idque has fecit ob causas, quod Dania consecratum non haberet Primatem; vel quod hujusmodi honoris in peregrinum collatione, ipsum & contribules in Sueonia potentes, sibi regnum tacite ambienti, propensos reddere cogitaret. Hac vero Danus festivitate, privilegia Ordinibus ex more confirmavit; quod simul beneficium, Vandalicis præstítit mercatoribus, quibus cum etiam renovat fœdus in Christiernum & fautores, illosque adhibet sequestros inter se atque Regem Gustavum, cum quibus propterea, & Daniæ Proceribus, hinc Malmogiam secedens.

Illuc pariter Rex Gustavus ex condicto abiturus, Jenecopiæ cum regni sui Ordinibus, de actione cum Danis instituenda prius deliberat, & obsidiu-

bus acceptis, Malmogiam festinat. In absentia verò illius, quidam Anabaptistæ per Oceanum delati Stockholmiam, gratiâ negotiandi, suum incolis dogma pestiferum annunciare hac cœperunt occasione, multosque de plebecula naëti auditores & fautores, istorum auxilio quasdam occupant Ecclesias; conciones in ipsis quotidie frequentant; futores, laniones, sartores, cerdones, aliosque auscultant mæchanicos, ex Johannis Apocalypsi perorantes, & hoc sibi munus promiscuè vendicantes. Deinde abolutâ concione, velut æstro, aut potius diabolo perciti, facto tumultu, ornatum invadunt Ecclesiasticum; diripiunt; organa musica comminuunt; imagines revellunt; proscindunt; deturpant; & mutilata in foro plateisque exponunt, deridenda atque conspunda. Nec ullus Catholicorum his se opponere lymphatis audet hominibus; quibus etiàm Lutherani principio connivent, hâc sedatâ tempestate, arbitrantes tranquilliùs expeditiusque suas molitiones processuras, & spe deinceps suâ frustrati, has reprimere furias nequicquam conantur.

Queis ad populum regni, pristinæ addictum religioni furoribus divulgatis, tales Evangelicis imputat; Regem de his incusat; adversus ipsum conjurat; & civilis passim belli non obscurum emicat incendium. Unde Petrus Jacobi, & M. Canutus, suam vindicandi depositionem naëti opportunitatem, fretique potentiam fortassis Severini ac sectatorum, cum non paucis profugint complicibus in Dalecarliam. Quorum unus fuit Consul Stockholmensis, & hujus tumultus nomine, Regem Gustavum summoperè illic traducunt, ac Lutheranos reddunt maximè odiosos, plebemque ad rebellandum impellunt, idoneos habituram antesignanos.

Tam periculosest Sueciæ statum, Rex Gustavus Malmogiæ constitutus, ignorat, & cum Danis acriter de vinculo trium regnorum, sicut & Gotlandia, Blechingia, Vichiaque, decertat, firmissimis probans rationibus, ex historia Scondiæ petitis, illud cum Sueonum detimento, & Danorum grandi emolumento, viguisse; hos dominos, illos servos extitisse; hos inopes, illos divites sub isto evasisse; Ideoque Danos tantopere hujusmodi semper affectasse foedus, & Sueones illud recusasse, quo tandem, immanis Christierni tyrannis hos liberasset. Postea demonstrat nullo Danos jure Gotlandiam possidere, antiquissimam Sueciæ insulam, & fraudulenter à Valdemaro, Christiernoque occupatam, ab his, atque Margareta, Erico, Christophero, Johanne, & Christierno II. dolose retentam, licet antequam sceptro essent potiti Sueonum, illius essent polliciti restitutionem. Tertiò, priscis ostendit Rex Gustavus documentis, non Blechingiam solum; ast etiam Sconiam, Lyfriam, Huetiam, & Hallandiam, ad Suecos, emptionis jure, spectare. Demùm evincit, positam Sueonibus Vichiam olim pignori à Norvegis, pro XVIII. millibus occlusarum cassidum, & citra illarum solutionem, pignus illegitimè à Danis repeti. Atque cum responsio non satisfaceret Danorum, nec illi nostris acquiescerent rationibus, controversia de Gotlandia, Blechingia, & Vichia, judicio submittitur à partibus VI. Vandalicarum urbium, scilicet Lubecensium, Gedanensium, Hamburgensium, Rostochensium, Vismariensium, & Lunenburgensium; A quibus, XIV. secundum Pentecosten anni sequentis die foret discutienda Lubecæ, ac decidenda.

Interim Gotlandiam Danus retineret, si nunc Calendis Septembbris Visburgum adhuc in potestate esset ipsius; sin minus, Gotlandiam victor Suecus possideret, Vichiamque, & Dano Lubecæ responderet; Qui Blechingiam mox adeptus, suum quoque jus Lubecæ comprobaret. His firmiter conclusis, fœdus pangunt Sueci, Dani & Vandalici mercatores, in Christiernum velut hostem communem; pactum ineunt, de profu-

gis non fovendis, & captivis protinus liberandis. Quocirca hujus vigore, Sigridis, avia materna; Christina Regis Gustavi matertera, cum liberis, aliquique plures Sueonum de carceribus evadunt in patriam Danicis. Quam simul repetit Gustavus, jurans se pedem non amplius extra illam, cum tanto periculo elaturum, & servans quoad vixerat juramentum.

Ad ipsam verò regressus, cognoscit eam domesticis flagrare tumultibus, ob religionis novationem; crebram argenti de Ecclesiis contributionem; & nuperam Stocholmiae debacchatonem; hancque in primis plexurus, illius authores, Melchiorem Rynch, atque Knipperum Dollingum, cum sectatoribus primariis, conjicit in carceres, qui tumultum sanguine mox luissent, nisi precio & precibus quorundam liberati, & relegati ex regno fuissent. Propter similes tamen furores, Monasterii apud Vestphalos deinceps promeritum adiverunt supplicium. Concionatores etiam vocatos Rex Evangelicos, graviter arguit, quod hujusmodi non abstiterint actutum bacchantibus, & Johannes Arhiepiscopus, quem in Dania cum principe reor prius abfuisse, accitos ante proscriptionem Arrianos, in multa hominum frequentia, erroris convincit, furoris repræhendit, contumacesque confundit. Sed post regis Gustavi reditum, comitia quoque Vasteni habita, in quibus Rex Ordinibus contractum exponit Malmogensem, initio Octobris, & Bernhardus à Möllen ex nuncio cognoscens statum Danico per eundem Sueticas ex Gotlandia remisit domum copias, Calmarniamque remeat ille perduellis, quam cum Borcholmo gubernabat, vocatusque saepius à Rege, Visburgo Suecos potitos frustrâ arbitrante, non ausus fuit comparere, Nicolaum Sture cum matre reversum, Calmarniæ interim retinens, ut Sueones sibi haberet obsequentiores adversus Regem Gustavum, & alios cum Severino dolos nectens.

Nam priores, de occupando Sueciæ gubernaculo, non processuras, ob foedus Suecorum cùm Danis ac Vandalis, machinationes, illi probè animadvententes, & Danos, vigore pactorum alteri Gotlandiam tradere decreuisse comperientes, ad Christierni secedere partes, sibi consultius existimarunt, ideoque classem per brumæ tempus appararunt. Et rescientes, sub anni hujus exitum, Hamburgi colloquium de Christierni habendum restituzione, magis in proposito animantur. Verum spe sua frustrantur; quandoquidem conventus ille multorum legatis Principum frequens, absque commodo solitus fuerit Tyranni, partem Scondiæ, ac Holsatiæ flagitantis, & conditiones recusantis Danorum. Qui non ipsum, sed Johannem filium, à Friderici morte Regem se paratos designare, & annuatim Elizabethæ Reginæ, aliquot numerare millia aureorum, ex bonis vitalitiis obvenientium, declararunt, ut nullis interea bellis à Christierno & fautoribus molestarentur.

Quos tamen hostes Fridericus imodice formidat, armis confederatorum animosus, & securam Norvegiæ possessionem sibi provisurus, XXIV. Novembris, propositos ab incolis confirmat artieulos, sanctè promitteris, quod privilegia Ecclesiasticis & Politicis olim concessa, non violaturus; illis dogma Lutheri nec obtrusurus; hujus studiosos, vitæ ac bonorum amissione plexurus; nullius Romam causæ permissurus devolutionem, prius quam domi esset in foro examinata Ecclesiastico; Non se vivo flagitatus filii electionem, neque hæredem se scripturum unquam Norvegiæ, cum thronus illius veltut Daniæ, imposterum electitus esset censendus; regno Hetlandiam, Orchadasque sine Ordinum consensu oppignoratas Scotis, restituturus; hisque si non staret pactis, crimen rebellantibus non impacterus læsæ majestatis. Paucos tamen horum Fridericus observavit, velut sequens Historia manifestat.

Porrò diem circiter XVII. Augsti, Senatus Norvegiæ, vifâ Leonis X, Friderici Regis, & Archipræfulis Erici, confirmatione, spontaneaque populi nunc impudenter reluctantis promiffione, olim factâ, Epifcopo adjudicant Hammarensi, decimarum quadrantem ex Hedelandia & Hedemarchia obvenientium, pro basilicæ illic fuftentatione. Sed Julio solvens mense Johannes Mule, Aslogenium Antiftes, ex Norvegia, regiam iturus ad coronationem, tempestate interiit, & Johannes Ref orbam adiit Cathedram.

Anno MDXXV. Elizabetha uxor Christierni integerrima, XIX. Januarii die, instabili valedixit mundo Gandavi, ubi & tumulo condita, quem Cornelius Scepperus insigni decoravit Epitaphio. Sed XIII. Januarii, Johannes Comes ab Hogia, Margaretam Joachimi Brahe, à Christierno cæsi viduam, & Gustavi regis germanam, duxit in matrimonium, nuptiis Stocholmiaæ celebratis, deque illa fufcepit Johannem, Monasterii factum deinceps Epifcopum, & Jodocum, Hogiaæ comitem. Priori autem prænobili marito genuit Margareta Petrum Brahe, quem suum Eri-  
cus rex velut ametinum, Comitem à Vifingsburgo poftea creavit, illoque perillustres nati Comites, Magnus & Abrahamus Brahe. Finitis autem germanæ nuptiis, amicitius vocat Stockholmiam Gustavus Bernhardum à Mollen, & ab illo tandem comparente, flagitat Calmarniam, resignataisque occupaturus, detento secum Bernhardo, expedit eò novum Castellanum. Verum cognoscens præfidiarios arcem non dedituros, ante Bernhardi liberationem, ipsum remisit Calmarniam. Qui castrum accedere permittus, suis spondet custodibus, quod intra V. horarum spaciū, ad illos in urbem cum Nicolao Sture effet reversurus, acropolimque traditurus. Atqui arcem ingressus, occulto in Oelandiam nuncio expedito, IV. inde peditum Germanorum vexilla ibi hybernantium advocat; illis se obfirmsat, & noctu hospitium regii præfecti acriter oppugnat. Qui tamen periculo ereptus, ad Regem properat, ipsique perfidiam Bernhardi enarrat. Qua de causa Gustavus, prout etiam propter colloquium imminens Lubecense, atque rebellionem Dalecarlorum, Ordinibus Arosiæ ad Calendas præcipit Majas comparere.

Atque Rex Gustavus armis adoriri Bernhardum statuens, in iftud poscit bellum omnes Ecclesiæ decimas ab Epifciis, & suis pro equis pabulum à regni flagitat cœnobiis. Vatinianum ideo Cleri, plebeculæque incurrens odium, quæ si aptum fuisset naæta ductorem, non minus in Suecia edidisset tumultus, quam vulgus hoc anno quoddam Germaniæ furens excitavit. Quas non metuens patriæ turbas Evangelicus Stocholmensium Pastor, primis illuc sacris Suetiæ operatur, & M. Olaus Petri, perlecto D. Martini libro, contra cælibatum scripto nuper Clericorum, cognitoque illius connubio, Andreæque Carolostadii, Vitebergensis Archidiaconi, uxorem & ipse principio duxit anni hujus, palam in Ecclesia Stocholmiaæ illi copulatus. Hoc autem matrimonio regni Præfules, & potissimum Braschius, magnoperè offensus, Archiepifcopum hortatur Johannem, ad vindictam de novo nupto sumendam, brachio etiam seculari adhibito; Quoniam ausus illud facinus in occidentali attentare Ecclesiæ, quod ne in orientali quidem tali modo concederetur, utque malo huic tempestive obfisteret, antequam latius propagaretur.

Aliis Braschius compellat Regem litteris, afferens ob populi tumulum, non illi consultum decimas accipere Ecclesiasticas, ac minimè decens, regios tradere equos cœnobitis, non stabulo, sed templo mancipatis, alendos; ut neque privilegiis Cleri conveniens, quæ simul ille approbavisset, suoque firmavisset sigillo Vasteni & Stregnesiæ. Nihilominus

minus tamen ea hactenus magis transgressus esset, quam ullus Regum Sueticorum, hujusmodi Clero imponens frequenter onera, cuiusmodi ne Christiernus quidem Tyrannus injungere præsumpsisset. Postea urget Braschius, mutuati solutionem argenti, & præsertim loculos auratos, Vasteni Lincopiaeque acceptos, reposcit. Sicut etiam in thalamum prolixe invehitur M. Olai, cum scandalo plurimorum in regia palam civitate celebratum; Ideoque ipsum sponsum potius execratum & excommunicatum esse, quam consecratum.

His igitur plurimum exacerbatus literis Rex Gustavus, V. ante Pascha die, Braschio acerbè respondet, affirmans cœnobia, Clerumque universum, Coronæ opibus ditatum, & fundis donatum amplissimis, vicissim obligatum ad ferenda Reipublicæ necessitatibus, hinc potissimum enervatæ, subsidia. In absentia verò sua, M. Olaum celebrazse matrimonium, & super illo compellatum, provocasse ad testimonia scripturæ sacræ, repudiatis hominum traditionibus, quibus adversariorum nitetur cælibatus, idque an valeat probare, se Braschio, examinandum committere. Hoc tamen sibi mirum dicit videri, quod Braschius anathemate feriat Olai matrimonium, non crebras suorum Sacerdotum scorlationes, & cum presbyterio in Germania passim concederetur matrimonium, de illo in Sueonia quoque certi propediem aliquid esse statuendum.

Nec minus hoc Episcopus responso ad indignationem provocatus, in vigilia Paschæ publicato inhibet edicto, ne ullus suæ diœcesis incola, doctus sive indoctus, de Lutherano præsumeret dogmate, palam, seu clam differere, asseverans illud mellitum esse venenum, quod homini non advertenti tacite influeret, & ipsum inficeret, hujusque oves sibi commissas, discriminis se admonuisse propterea, ne pereuntium damnatio pastori imputaretur.

Neque literis contentus hoc de negotio promulgatis, ipsemet diœcesin paragrat universam; idem inculcat, hujusque per Epistolam admonet Gotlandos, ex Oelandia destinatam, ac ut sacrum, more pristino, Lincopiae chrisma peterent, seriò ipsos hortatur. Hinc verò reversus, M. Olai nanciscitur apologiam sibi oblatam, de qua Regi mox perscribens, afferit verbis illam, non rationibus constare, temporeque oportuno refutandam.

Fuit autem M. Olaus cum collegis versioni nunc intentus Novi Testamenti, translationem sequens D. Lutheri verbotim, & Rex Gustavus mentem hac in re Catholicorum exploraturus, Archipræsuli idem commendat negotium, per suos maturandum Doctores, his utens rationibus: Omnis fermè natio, præter Sueticam, etiam Danica, Novo fruitur Testamento in vernacula. Deinde modernus id flagitat Ecclesiæ status, innumeris expositis opinionibus, quas idiotæ non facile discernerent, sine sacrarum literarum intelligentia. Immò Sacerdotum permulti, Latini sermonis parum gnari, & vernaculâ hactenvis interpretatione destituti, perperam vulgo Scripturam Divinam exponerent; Quæ pabulum hujusmodi ovium esset salutare, idque nisi fideliter illi præberent, & talia deducerent ad pascua, veri non forent pastores cendi.

His etsi aliquandiu instantiis Præsul vehementer reluctaretur; tamen indignatione compulsus regiâ, mandato obtemperavit, & inter Patres Cathedralium Ecclesiarum, Monachorumque Ordines, ità Novum distribuit Testamentum, Suetico donandum idiomate, antequam VIII. Septembbris diem, finem operi imponendum, quando Upsaliæ ratio translationis esset reddenda.

Upsalensibus itaque assignat Evangelium S. Matthæi, cum Paulina

ad Romanos Epistola: Linco pentibus, Evangelium S. Marci, & utramque ad Corinthios Epistolam: Scarenibus, Evangelium Lucæ, cum Epistola Galatis perscripta: Stregnensibus, Evangelium S. Johannis, Epistolamque Pauli ad Ephesios: Arosiensibus, Acta Apostolorum: Abogensibus, Epistolas ad Thessalonenses & Thimoteum exaratas: Monachis B. Dominici, S. Pauli ad Titum & Hebræos missas Epistolas: Monachis S. Francisci, SS. Judæ ac Jacobi Epistolas: Vastenensibus, Epistolam SS. Petri & Johannis: Carthusianis denique, Apocalypsin deputat S. Johannis. Fridericus etiam D. Martini Lutheri doctrinam toti sensim Daniæ obtrusurus, illius hoc anno permisit in Jutiæ australis & Holsatiæ Ducatus propagationem, defendendamque suscepit adversus Episcoporum potentiam. Nihilominus tamen à fautoribus M. Georgii Scorborgii extorris, rogatus, apud Clementem VII, ipsius adjuvat promotionem contra M. Achonem Sparre, & quendam Cardinalium, qui commendæ loco, ut vocant, sibi collatam afferuerisset Lundensem Episcopam. Sed mense Aprili, tristissimus adfertur nuncius Friderico, & lætissimus Christierno, de captivato per Cæsarem Rege Gallorum, indeque certam concipiens spem Tyrannus, se victoris auxilio saepius promisso, Scondia restitutum iri, hujus incolas literis invitat ad pristinam obedientiam; trophæum affinis insinuat; opem fibi ferendam ab illo exagerat; se regnis exturbatum, quod plebeculam adversus Proceres defendere, dolose affirmat; Severinum Norby, Bernhardum à Mællen, aliosque sibi fidos, ad suæ patrocinandum causæ instigat, & veniam spondet omnibus rebellionis, qui opem Norbygio prætitissent, ipsique suo nomine jurassent.

Hinc Bernhardus persuasus, Calmarniam firmissimo munit præsidio, & cum uxore divitiisque in Germaniam abit, de Sueciæ cum Christierno impugnatione deliberaturus, ad suosque Calmarniam brevi reversurus. Interim verò socius factionis Severinus, Daniam occupaturus, Sconiam invadit principio veris, & totam subjugat, præter Malmogiam ac Helsingburgum, quæ, multis accolariis millibus sub signa vocatis, obsidet.

Proinde Fridericus de tanto admonitus periculo, Segebergæ, cum Vandalicis super illo consultat negotiatoribus, & promisso ab ipsis accepto, quod auxiliaria vellent arma quantocum adferre, suas interea copias in Sconiam expeditivit. Quæ, suppetiis non expectatis, hostem Lundiae invadunt, & multa de illo millia cædunt, tantamque suorum cladem Severinus Helsingburgensi deditus expugnationi, resciens, Lanceronam cum residuo confudit milite, ubi per regium obsidetur exercitum.

Illi proinde commilitonum unus, Otto Stigonius, opem latus, cum VIII. Sconorum millibus tacitus adproperat, deque horum adventu copiæ Regis admonitæ, illis obviant, & profligant, populusque vitâ donatus, novam promittit fidelitatem. Quam socia classis in fretum delata cognoscens victoriam, suamque illic minus opem rata necessariam, contendit in Blechingiam, & ibi navibus Severini quibusdam incendio consumptis, Gotlandiæ proras obvertit, quam protinus subjugat, & Visburgum impugnat, validiori quam existimaverat præsidio munitum. Huic autem navales non poterant copiæ Norbygii, Oceanum infestantes, obsistere impugnationi, nec potens illa piratarum colluvies, quæ mandato Christierni, & Mariæ in Flandria gubernatricis, Scondios atque mercatores infestabat Vandalicos, Claudio Cniphofvio ductore, Bergensibus præcipue negotiatoribus perniciose. Adversus quem, aliosque Rex Gustavus hostes,

stes, à fœderatis de auxilio sollicitatus ferendo, super eo consulit Ordines nunc Arosiæ congregatos, & horum assensu opem se laturum promittit.

Hoc etiam conventu bellum pro Calmarniæ decernitur recuperatione, & XVII. Maji, Archipræful cum sororio Regis, Johanne ab Hogia Comite, hinc Lubecum expeditur Legatus, qui Arosiæ cum rege Gustavo Upsaliam rediit, ubi sua in præsentia Uplandos eò vocatos, conatur ille tumultuantes, propter veteris immutationem religionis, placare. Quibus nonnihil pacatis, Rex securior Calmarniam versus proficiscitur armatus, & Legatus Stockholmiam abiit, unde literis hortatur Braschium, ad maturandam Bibliorum translationem, atque XI. Junii, Lubecum inde navigat. Sed vento dum ille adverso, hostilibusque remoratur in via excursionibus, Dani condicto illic die comparentes, Suecis ibi non inventis, de suo testimonium adventu accipiunt, subitoque redeunt, ipsos Lubecensibus ad expectandum paulisper nequicquam hortantibus.

Eodem quo Arosiæ Gustavus tempore, comitia Hafniæ celebrat quoque Fridericus, ubi Ecclesiastici & Politici, prædia in regno possidentes, ex suis pollicentur redditibus triennalem, pro avertendis Christierni molitionibus, contributionem. Alia tamen potior fuit præsentis causa conventus, nimirum, ut Optimates hic congregati, Fridericum in Norvegiam comitarentur, illic, XXIV. Junii, regiis decorandum insignibus. Verum quod Norvegi, Vichiæ, Orchadum, & Hetlandiæ restitucionem urgerent, inaugurationi omnino præmittendam, præfata intermittitur profectio.

Haetenus Lanscronæ Severinus acriter impugnatus, cognoscit suos in Visburgo etiam à Lubecensibus graviter premi, & neque hic neque illic subsidii à Christierno promissi, ullam affulgere spem conspiciens, XXIX. Junii, cum adversariis ita transigit, quod Lanscronam & Visburgum mox dediturus esset; pristinâ Friderici gratiâ fruiturus; damno Seundiis, Vandaliæque civibus illato, non satisfacturus; atque Solsburgum cum subjecta ditione superstes possessurus, & ipsius militi, residua Danus salario pensurus. His autem obsignatis, panditur Lanscrona, & Visburgum, Gotlandiaque traditur postmodum Lubecensibus, indè quadriennales percepturis proventus, in sumptuum compensationem bellicorum.

Quam Danis tamen post biennium resignant, & Borenholmiam illius vice acceptant, L. annis possidendam, interimque Lundenses hac privati insulâ, Varbergensem usurpati ditionem feruntur, ac ipsam minimè assequuntur, quod paucò post tempore, immutatâ per Daniam religione, hæc, omnisque Cleri possessio, ad regium fiscum fuerit devoluta. Verum ad Gotlandiam quod attinet, ideo Lubecensibus Dani tantisper illam permittunt, ut conjunctis secum viribus, juris in ipsam Suetici remorarentur executionem.

De hac paratus insula disceptare Gothus, usque Julium vento detinetur contrario in fauibus Stocholmensibus, quandò ex illis solvens, Calmarniam depellitur, ubi Regem paulisper allocutus, aurasque noctus secundas, Oceanum repetit, in quo multum jactatus, & à piratis infestatus, Rostochiumque tandem delatus, indè per terram pergit Lubecum, quam, XVIII. Julii, ingressus, magnifice suscipitur. Postridie vero datis ad Fridericu literis, se Lubecum advenisse insinuat, ut Malmogensi satisfaceret decreto, ratione Gotlandiæ, Vichiæ ac Blechingiæ, & quod Oceanus tempestatibus, prædonibusque fuerit infestus, ad constitutum non comparere diem potuisse, obsecrans, ut suos remitteret Legatos; qui non admissa per Lubecenses, & reliquos causarum arbitros,

protestatione, Lubeco abiissent. Deinde coram expectante Daniorum, & Johannis Comitis adventum, comparent Archiepiscopo, XXI. Julii, Legatus Cæsaris, ac Hollandorum Orator, poscentes, ut Sueciæ Imperatoris Rex securam permitteret subditis negotiationem.

Quam illorum esse petitionem Lubecenses suspicuntur, & illos, non se præsentibus, auditos indignantur, quos cum adversariis, ad Comitis rejicit Archipræsul adventum, simulque Pomeranos & Prutenos, debita Sundensibus nomina, & naves Regiomontanis ablatas, postulantes.

Fridericus interea, nactis Archipræsulis Suetici literas, consulto differt responsum, quod suæ diffidens causæ, congressum formidaret illic Suecorum, & demum II. Augusti respondet, Proceres huic negotio deputatos, sibi non adesse, & quamprimum vocati accederent, se Lubecum ipsos remissurum promittens; ast nunquam mittens.

Itaque cum VIII. Augusti, Comes advenisset, diu expectatus, & nescio quibus alibi rebus occupatus, ille, Gothusque, Sueonum Commisarii, præsentes impellunt arbitros utrinque deputatos, ut Danum Malmogensis admonerent decreti, ac Legatos suaderent remittendos; Qui hortantibus licet obtemperarent, tamen frustra laborarunt, & Sueones re prorsus infectâ, remearunt. Exinde, Dani Lubecenses à Suecis aversuri, & illos suis partibus inclinaturi, Gotlandiam, ut præfatus sum, ipsis dolose permiserunt. Atqui Vichiam Rex Gustavus aliquot merito retinuit annis, & Blechingiæ populus, Sueciæ potius quam Daniae malens subesse, vetus cum Vermelandis renovat fœdus, Suecosque legitimos agnoscit dominos.

Cæterum Braschius, absente Rege, Suecos Gothosque ad conservationem defensionemque avitæ hortatur religionis, & IX. Augusti, queritur in literis Upsaliæ Doctori Petro Galle perscriptis, de Archiepiscopo Bibliorum translationi consentiente, cum non ignoraret incrementa hinc doctrinam Lutheri sumpturam, & propterea Christum Ecclesiæ Doctores reliquisse, ut ipsi sacras explicarent populo scripturas, non stolida hinc naæta occasionem plebecula, de illis perperam disputaret.

Verum de Jubilæo, universis Scondiæ incolis à Clemente VII. nuper concessso, Sueonum quoslibet admonuit. Nec Braschius ægre tumultus in regno passim subortos adversus Lutheranos, auscultat, quos in Dalecarlia D. Petrus Jacobi, & M. Canutus, præsertim commoverunt, apud Jacobum Morenium latentes Pastorem, illasque Gustavus turbas sedatus, illuc proficisciit initio brumæ, cuius formidantes adventum profugi, cum hospite, & aliis non paucis abeunt sociis in Norvegiam, perhumaniter suscepti hospitio, velut religionis causa extores, ab Olao regni Princeps, qui Petro inluper Decanatum contulit Nidrosensem. Is Fridericum, ut ipsi Gustavum, propter religionis innovationem, tacito persequebatur odio, & Christiernum pari cum hospitibus amore, quod Lutherò ipsum adversari, perperam sibi persuaderet, simulque Fridericum detestaretur, propter intolerabilem de Norvegia levatam hoc anno contributionem.

Mense Octobri, Kniphovius archipirata Christierni devictus, capitulab Hamburgensibus, & capite plectitur; Dum Georgius Mynterus, illius vitricus, cum multo expeditus auro à matre captivi, ad redimendam illi vitam, consulto in via nimium moraretur. Qui proinde Malmogiam reversus, illam condidit ex hac pecunia insignem eleemosynam, quæ pauperibus quotidie ibi fuit haætenus impartita.

Nec Kniphovii commilitonis sui tanto Norbygius infortunio emendatus, quod secum in ditione Visburgensi foret inclemens actum, & Lanscronensi, de salariis suo militi numerandis decreto, non satisfactum, no-

vis invigilat molitionibus in Blechingia; Sueonesque sibi attracturus, rū morem spargit de promisso sibi à Christina Stenonis vidua connubio. Hinc materteræ Gustavus indignatus, meritò illud suspectum habet matrimonium, & ipsa suspicionem à se derivatura, quendam literis obse crat amicum in Dania, ut Severinum hortaretur ad supersedendum hu jusmodi sermonibus, confitens se donis scriptisque illum invisiſſe, propter multa sibi beneficia in captivitate exhibita; non matrimonium cum ipso aliquod contrahendum, deque illo nè quidem somniasse unquam, multo minus cogitasse, vel approbasse.

Quando Christianus Friderici regis filius, citra parentis consensum, Magni Ducis Saxoniæ filiam duxit Dorothæam, & sororem Christiani, Albertus Ordinis Magister Prutenici, connubio sibi junxit, assumpto Du cis vocabulo. Nihilominus per literas postulavit Christiernus à Senatu Gedanensium, subsidia in Fridericum Alberti socerum, in quibus more crochodyli patratam deflet tyrannidem, sequē in alium longè virum, post quam novo illustratus eslet Evangelii lumine, per D. Lutherum accenso, transmutatum, illudque Gedani copiosos nunc spargere radios, se oppidō lētari, incolisque plurimum gratulari, asseverans, astuta velut vul pecula; & Catholicum, se Norvegis per alteram declarans epistolam.

Gustavus autem Sueciæ Rex, Calmarniam hactenùs gnaviter impugnavit, & illam grandi suorum clade recuperavit, indeque victor cruentus Stockholmiam reversus, quantus per D. Petrum Jacobi, ac M. Canutum, in regno esset tumultus commotus, dolenter intelligit. Proinde literis expostulat cum Archipræfule ac Senatu Norvegiæ, profugos in præjudicium foventibus contractus Malmogensis, illosque ut remitterent, obsecrat. Quod ipsum Norvegis mandat Fridericus, per Gustavum hoc super negotio informatus.

Hujus etiam civilis culpam tumultus, non modicam Evangelicis adhærere Gustavus concionatoribus animadvertis, quòd illorum quidam suo imprudentius fungerentur munere, bonis prorsus operibus damnatis, fidem solam commendarent; cœlicolas omni prorsus honore privarent; & in Pontificem, Episcoposque, nimium fulminarent; plebeculam magis ita offendentes, quam erudientes, illis convocatis, legitimum præscribit docendi modum. Et ipsorum adversariis ora simul occlusi rūs, sollennem promulgat disputationem, Upsaliæ inter Doctorem Petrum Galle, atque M. Olaum Petri, habendam, de controversis utrinque articulis, nimirūm justificatione hominis; operum meritis bonorum; libero arbitrio; humanis traditionibus; Sacramentis Ecclesiæ; Sacrificio pro defunctis; Missa privata; cultu sanctorum; Purgatorio; Excommunicatione; Indulgentiis, & peregrinatione votiva.

De his verò acriter illi decertarunt, XXVI. Decembris in præsentia Regis & Archiepiscopi, hominumque aliorum multa frequentia; Palma tamen, ut ferunt, M. Ola data à Gustavo, quòd solas Scripturæ Sacræ, non sanctorum Patrum, admitteret probationes. Hic denique reor versionem Novi Testamenti examinatam, & Lutheranorum à Rege approbatam, non Catholicorum.

Anno MDXXVI. ineunte, celebrata sunt Västensi Comitia, in quibus Comes & Archipræfus suæ successum legationis exponunt, Ordinibus Regni non parùm demirantibus, quòd Lubecenses controversiæ Suecos & Danos inter de Gotlandia constituti arbitri, illam invaserint occupaverintque insulam. Hic etiam legitimum se probavit Gustavus hæredem fundi Griphisholmensis, in illoque, citra liberum parentis sui consensum, à Stenone seniore, Pacimarianum esse

fundatum cœnobium, ignorans à suo contribule Canuto Jonæ, anno MCDIV. sub Coronam esse venditum.

Itaque Carthusiani hoc super negotio compellati, deque Regis jure informati, illi fundum VI. secundum Pascha die, resignant, & oblatum à Gustavo monasterium pro habitatione Juletanum recusant, item de ipso motu sibi Cistertienses non ignorantibus, ac potius residuum vitæ in privatis amicorum ædibus transfigere cupientes. Horum vero propter expulsionem, & quod ex cœnobio deserto, aliisque quatuor propinquis, in vicinam translatis insulam, castrum fabricaverit. Rex Gripsholmense, gravissimum vulgi odium Gustavus incurrebat.

Succensebant insuper plurimi Sueonum Regi, quod Stenonis agnati conjugisque in Gripsholmensi conditorum monasterio corpora, tumulis eruta, in vilissimo accolarum facello collocaverit.

Quando cœnobii propter demolitionem, & Johannis Gothi intercessionem, funis Jacobi Archiepiscopi, quod illic quadriennio stetit inhumatum, mandat Gustavus sepulchro tradere; cui propterea die IV. Februarii, Upsaliæ fuit illatum.

Istas secundum exequias intercessor & successor Johannes, se borealium accinxit regionum visitationi, suo in hac satisfaciens officio, per quendam Vincentium Præfulem Gadenium vagabundum, & modum præterea docens populos arctos coquendi salis, quod crebrâ illius laborarent inopiâ, impensasque aheforum comparationi liberaliter conferens. Verum quod nitido apparatu, frequentique nimium comitatu stipatus incederet Gothus, & præsertim, quod plebeculæ redderet passim exosam D. Lutheri doctrinam, multam Regis contraxit indignationem.

Interea Norvegiae Archipræsul Olaus, Senatusque Gustavi & Friderici, literis compulsi ad remittendum profugos nonnullis ante Pascha septimanis, Sueco perscribunt, Petrum & Canutum in foro patriæ se defendere paratos, acceptâ in primis cautione de seculo aditu redituque, & quod judices habituri essent competentes. Quam proinde mox Gustavus suo atque VII. Procerum roboretam sigillis, lubens destinavit, X. Augusti diem adversarii dicens.

Aliis vero Dani literis Præsules & Proceres Norvegiae provocati ad celebrandam veris initio Bergæ Coronationem, illam suadent prorogandam, obtendentes loci incommoditatem, temporis brevitatem, Christierni molitiones regnum invadere machinantis; Ast intelligentes Vichiam Orchadasque nec dum restitutas esse, & Fridericum aliis pactorum articulis neque adhuc respondisse, quos inter, quod Lutheri foret sectatores proscripturus.

Et Vichiam quidem Suecūs contra Danos Norvegosque omnino defendere cogitans, Olufsburgum illius præsidium firmius hoc tempore obmunit; Velut etiam Danorum amicitiam, throno Sueciæ inhiantium, multis de causis suspectam habens, omnibus suis partibus sedulò invigilat. Præcipue tamen formidans, nè occulti in patria hostes, cum Friderico vel Christierno colludant, aut Norbygio, seu potius Bernhardo à Mællen, gratificaturi, Nicolaum Sture in arenam protruderent, huicque positurus obstaculum machinationi, Nicolaum XIII. annorum puerum, & suum consobrinum, sibi constituit servitorem. Id consuluit Regi Magnus Vestrugothiæ Antistes, factionum non ignarus, simulque suadens, ut mater teram Gustavus Christinam, solito magis veneraretur. Sed quod Nicolaus in regiis protinus esset obsequiis mortuus, & Upsaliæ hujus initio æstatis sepultus, Gustavo adversarii novam facebunt molestiam, quorum non nulli ipsum accusant homicidii, reliqui alium loco Nicolai velut fuga elapsi,

cæsum promulgantes, Nicolaumque clamitant superstitem, & similem ipsi  
juvenem subornant, in gravissimum patriæ detrimentum, prout actutum  
commemorabo.

Haec tenus M. Georgius Scorborgius exulans, istâ tandem hyeme im-  
petratâ confirmatione, consecratione, ac quorundam Principum civita-  
tumque Vandalicarum commendatione, ad Fridericum, ut se cathedralē  
restitueret, principio Maji Lubecum ex Italia pervenit, ibi præstolans  
Dani responsum, commendatitiis ad ipsum literis destinatis. Verū  
quod competitor M. Achatius, Scorborgium Lundensi obtrusum Eccle-  
siæ à Christierno, affirmaret, se prius legitime designatum probaret, &  
Regi III. aut̄orum milliā numerarēt, illam obtinet à Friderico Senatu-  
que sententiam mense Augusto, quod cathedralē fruiturus esset, donec  
probaret contrarium adversarius coram regio tribunalī, idque si de-  
monstraret, insulam habiturus esset Sconiæ, ac expositum Achatio au-  
rum refusurus, quam hic alias possessurus, nec ideo Romanas passurus  
esset censuras. Isto Scorborgius responso confusus, secessit deinceps Co-  
loniam, ubi chorepiscopi nanciscitur officium, & canonici mediocre be-  
neficium.

Reliqui Danorum Præsules, quendam nocti libellū, Christierni  
patrocinantem causæ, Novumque Testamentum Daniçè versum, & Ant-  
verpiæ impressum antigramma quoddam, operā D. Pauli Eliæ confectum,  
publicant, in quo Christierni naturam graphicè depingunt, & versionem  
opinionibus Lutheri vitiatam, contendunt.

Sueciæ autem Primas Johannes Gothus, ex visitatione Upsaliam re-  
versus, Regi prescripsit, quod boreales regni populi pro illius Deum  
fideliter obsecrarent incolmitate, constantiaque in religione avita,  
quem simul hortatus est ad conjugem sibi poscendam Poloni filiam,  
existimans ita non difficulter Gustavum, suā Sigismundi Catholici, ad de-  
serendas Lutheri partes permotum iri.

Proinde respondit Princeps, simplicem ignorare plebeculam, quid  
coelitus peteret, & accersitum arguit Præsulem, quod illam rectius non  
erudiret, posthabitâ campanarum, cœmiteriorum, & Ecclesiarum con-  
secratione; lapidum truncorumque benedictione, quibus solùm fuisse intentus  
hac visitatione, non Evangelii prædicationi.

Deinde resciens ipsum, aliosque vacantium Ecclesiarum candida-  
tos Episcopos, suam meditari hunc inaugurationem, ut potentiores ita  
facti, Lutheranos pénitū exterminarent, illos jubet prius sollicitos esse,  
de solvendis regni nominibus; impediendis hostium molitionibus; ac præ-  
sertim Christierni, qui novo propediem conventu, Lubecæ instituendo,  
suam promoturus esset restitutionem. Ideoque cum Dani Ecclesiastici  
& Politici, tantum discriminis aversuri, insignem suo promisissent Re-  
gi contributionem, & idem capitibus Sueonum impenderet periculum,  
grandia postulat ab illis subsidia. Et cum provocarent ad immunitatem,  
privilegiaque Ecclesiæ olim & nuper concessa, occurrit Gustavus, libro  
informatus D. Lutheri, ante biennium publicato, de bonis Cleri confi-  
scandis, asseverans, Regibus pro conditione temporum, illa mutare sine  
piaculo esse concessum. Atquè de hoc disceptaturus negotio, cum Up-  
salensibus Academicis, & tumultum populi hac de causa furentis, prohi-  
biturus, formidinemque æmulis injecturus, cum multis armatorum  
millibus, XVIII Maji, comparet in frequentissimis Upsilonium nundinis.

Ac in primis cum populo, in suburbana congregato planicie, col-  
loquens, queritur de otiosa, inutili, nimiaque Sacerdotum & Monacho-  
rum in regno multitudine, quæ solum fruges esset consumere nata, illo-

rumque conventus ac proventus, in magis proficuos Reipublicæ usus se paratum convertere demonstrat.

Atqui reclamante contumaciter universâ illic ex tota Uplandia præsente plebeculâ, nec cohortes armatas formidante, orationem à seriis ad jocos pro tempore ludosque convertit; Etenim comitem honorando Archiepiscopum, placaturus itâ multitudinem, habito suboffensam sermone, vel magnificentiam ejus visurus, aut opulentiam exhausturus, sibi magnoperè suspectam, in reditu civitatem versus, certo illum prægrandi ex floribus contexto, illâ decoravit intentione, ut se magnifico exciperet, aulicosque frequentissimos convivio.

Quocirca honorem & morem haud recusans Gothus, lautissimum, splendidissimumque Regi, & spectatoribus, post dies aliquot exhibuit symposium. Quo Regem sibi magis offensum quâm propensum reddidit, quod æquè sublimi resideret è regione folio; quod argenteâ suppellectile regiam superaret; quod pocillatorem, præscissorem, & prægustatorem, sibi peculiares adhiberet; ac præbibendo istâ uteretur loquendi formulâ: *Nostra gratia vestrae propinat.* Adeoque fuit Præfus illo exhaustus epulo, ut nihil amplius poculenti aut esculentî in cellario vel promptuario superesset, seroque suam lamentaretur inopiam, & regias detestantur harpyas, has quadam ex malitia sibi sumptus extorquentes, deque illa gloriantes. Postea Gustavus aliud Johanni, & Assessoribus, Professoribusque convivium exhibitus, cum ipsis per M. Olaum aliquot diebus concertat de privilegiis quondam Ecclesiæ concessis, quæ licet acerrime Doctor Petrus Galle imprimis, ac deinde M. Georgius Upsalensis Præpositus, Regisque ametus, propugnarent, asseverantes, citra gravissimam Dei offenditionem, illi non licitum esse diplomata Majorum, & testamenta immutare, vel munera Divino collata obsequio, revocare. Tamen cum solis ferme conciliorum, & SS. Patrum, non Scripturæ Sacræ testimoniis, quæ potissimum à Rege petebantur, suam defenderent assertionem; Demum ab adversariis concluditur, privilegia Ecclesiæ imposterum regio futura in arbitrio, indeque cum ulceratis utrinque animis disceditur.

Interim promotione Imperatoris, & aliorum Principum quorundam, conventus inchoatur Lubecæ, fériis Pentecostes, quo consensit Rex Fridericus, ut Johannes Christierni filius, sibi mortuo, in Danorum succederet throno, interaque millia quotannis aliquot perciperet aureorum à Danis numeranda; hac tamen conditione, quod Daniâ & Norvegiâ contentus, Friderici hæredibus integrum permitteret Ducatum Holsatiæ ac Jutiæ australis; æquius quâm pater incolas regeret; illum in Scondiam non admitteret unquam; nec Scondios, vel cives Vandalorum, propter rebellionem patri motam, plecteret; sed quaslibet Danis, Suecis, Norvegis, & Lubevensibus, horumque sociis, offensas condonaret.

Maluit autem Danus his potius subscribere pactis, quâm in assidua belli à Christierni fautoribus inferendi formidine atque discrimine, non sine continua regni afflictione, versari. Illi tamen non fidentes transactio- ni, Optimates Daniæ, trientem proventuum suorum Regi pollicentur, ipsum percepturo, donec firmior præsenti esset tragediæ imposta catastro- phe. Ipsem etiam Fridericus, non multam tribuens his fidem pactis, vetera in hostes renovat foedera cum Scoto & Gallo; Quodque hic nuper libertati restitutus, quandam inivisset cum Cæsare contractum, Scondiis, Italis, & Germaniæ Principibus suspectum, ipsum Clemens VII, Anglus, Danus, Veneti, aliquique Imperatoris adversarii, rescindere conantur, atque Regi Francisco, horum persuasione bellum Carolo Cæsari molienti, promittit copias Fridericus auxiliares, & anno sequenti eas submittit.

Lubecensibus quoque, propter navatam sibi operam contra hostes nuperam, satisfacturus, retributionem contumaciter flagitantibus, in colloquio Segebergæ cum ipsis habitō, Borenholmiam illis assignat, annis L. possidendam, & Gotlandiam recuperat. Querentes deinde negotiatores Vandalorum, de Severino, novā Oceanum piraticā infestante, & refugium in Blechingia identidem captante, placaturus, ipsum serio ab illa dehortatur, & nihil lucratur. Hanc proindè ob contumaciam, quodque nolle comitari filiam, ad sponsum Prussiæ Ducem mense Junio expeditam, rex Fridericus graviter Norbygio succensuit; ipsi tamen connivebat, quod Suecos frequenter incurset, & subsidium in illos à Bernhardo præstolaretur, cumque domesticis simūl Gustavi hostibus conspiraret.

De qua Suecus fraude cum Dano protestatur, incusans etiam Olaum Norvegiæ Primatem, quod literis nunciisque ad Gothum nuper destinatis, discordiam in regno Sueciæ conaretur seminare.

Quibus aliâ occursum pariter viâ molitionibus, in comitiis Arosiæ Julio mense celebratis, hostiles manifestat infidias; ipsas personis exprobrat suspectis; & opem postulat ab Ordinibus, solutioni nominum, Lubecensibus restantium, necessariam. Et cum optimum solvendi quibusdam videtur adminiculum, si campanæ in multis per regnum Ecclesiis superfluæ, in partem cederent solutionis, Antistitesque adhuc satis opulent, denuò contribuerent, utroque approbato per Cleri osores consilio, campanæ frequentes convehuntur; Lubecam quædam mittuntur; ex residuis belli machinæ funduntur, & reliqua ab Episcopis subsidia colliguntur, nimirum ab Upsalensi, 4000; Lincopenfi, 2500; Scarenfi, 2000; Stregnenfi, totidem; Arosiensi, 1000; Wexionensi, 500; ac Abogensi, 3000. marcarum Stockholmensium.

Fridericus interim querulas Gustavi nactus literas, se vehementer excusat, & Severinum incusat, afferens, ipsum flagitasse licentiam Suecos terrâ marique impugnandi, & hanc illi denegatam, fœdus propter Malmogense, seque vigore hujus, paratum affirmans ad ferendum Gustavo adversus hostes subsidium, obsecransque novum alicubi de Vchia colloquium, quod illam Norvegi pertinaciter reposcerent.

His verò Suecus responsurus, cognoscit Severinum maritos Fin-landiæ incolas populari, & navales contra ipsum copias expedit, à quibus ille, aut vento pulsus adverso sub Narviam, à Moschisque captus, Mosquam abducitur; Atque post biennium, Caroli Cæsaris intercessione liberatus, ipsius sequitur militiam, & in Florentina cæditur obsidione, anno MDXXX. cœnobioque, ut ror, illic Brigittino, sepelitur.

Archipræful etiam Norvegiæ, ut se Gustavo excusaret, M. Canutum alegat in Sueciam, Petro Jacobi, propter vehementem retento infirmitatem. Perveniens autem ille Stockholmiam, IX. Augusti die, Senatoribus regni, & urbis, præsentatur judicandus; examinatur; ab ipsomet Rege, accusatur præditionis, ac propriis convictus literis, morti adjudicatur; frustraque protestatur, sibi publicam non servatam fidem, nec à judicibus se competentibus judicatum esse. Nam licet Upsalensis, Lincopensis, Scarensis & Stregnensis, adfuerint Episcopi; tamen judicium hic recusabant munus suæ contrarium professioni religionique obtendentes, morti hominem adjudicare.

Rex Gustavus verò Petrum huc similiter allecturus, simulat pro tempore, se non alienum à donanda Canuto vita, illum custodiæ mandat Patrum Upsalensem, & novis Petrum huc invitat literis; quibus ille, aliisque fretus, XXII. Septembris, Nidrosiæ Sueciam versus festinat. Ipsem et interim regni Archiepiscopus, quod Regi vehementer offensus, propter Lutherani propagationem dogmatis, illi foris domique struere insidias perhiberetur,

in cœnobio Stocholmiae insulano, & quidam Upsalensium canonici, velut factionis confortes, in monasterio Dominicanorum, illosque inter fuisse creditur, D. Joannes Echius, Ingolstadiensis Professor, captivantur. Aclicit Gothum suaderent æmuli culeo submergendum; tamen sanguinario illorum consilio spreto, Rex Gustavus restitutum libertati, legatum destinat ipsum, brumæ initio, Poloniæ versus, sibi filiam Sigismundi regis postulatum conjugem; nec ullo donat viatico. Quod proinde Archipræsul cumulaturus, ex navi datis ad Clerum Roslagiæ literis, ab illo subsidium postulat, imperatque liberalissimum, & Dantiscum navigat, nec unquam in patriam remeat.

Hactenùs Suetica Novi Testamenti versio, sub prelo sudans Stocholmiae typographico, XV. Augusti, prodiit consummata, pristino Sacræ Scripturæ contextui plurimum difformis. Sed translationem Catholicorum Gothus, operâ Doctoris Petri Benedicti, veteri quodam adjutus forsitan exemplari, per M. Matthiam, rogatu S. Birgittæ, olim Suetice exarato, Dantisci maturavit.

Verūm ex Suecia Joannes abiturus, Ecclesiæ tutorem protectoremque Upsalensis, constituit Braschium, quæ interno vidiuata esset præsule, & gravibus jaētata per sequens quadriennium tempestatibus.

Post Archiepiscopi verò abitum, Upsaliam Petrus Jacobi advenerat; Unde cum M. Canuto, & altero quodam sacerdote, Petro Matthiæ appellato, ejusdem factionis accusato, Stocholmiam perducuntur, hocque ludi-brii processu inducuntur.

Petrus quidem Jacobi, velut reus affectati aut perturbati regiminis, coronâ insignitus stramineâ, gladio accinctus fuit ligneo semirupto; & M. Canutus, infulâ redimitus corticeâ, tanquam honoris avidus Episcopalis, amiculo sacro admodum obsoleto fuerat indutus, strigosisque retrorsum insidentes equis, civitatem ingrediuntur, ante poneque plurimis stipati larvatis, ex populo ad spectaculum effuso sciscitantibus, ubinam esset Rex Gustavus, quem hic novus rex vellet conventum & peremptum. Ita per omnes vecti plateas, ad palum sistuntur publicum, & à carnifice illis propinante, perinde ac hospite suscipiuntur; ac tandem in squalidos carceres compinguntur.

Hac de causa, prout etiam ob Archiepiscopi eliminationem; novæ religionis promulgationem; campanarum profanationem, ablationemque; suppellestilis expilationem Ecclesiasticæ; monasterii demolitionem Gripsholmensis; crebram monialium constuprationem; harum, & monachorum transfugia, conjugiaque; velut quoque, propter ingentem in regno anno-næ caritatèni, quam plebecula cælitus propter facinora immissam esse præfata existimavit, vehementissimo regnum tumultu intumescit, quod Rex Gustavus, socio M. Olao perlustrans, hanc tanquam alter Eolus aliquantulum sedavit tempestatem. Et illam à Clero identidem commoveri Catholicò haud ignorans, ipsumque, non nisi publicâ convictum disputatione, ab hujusmodi destitutum esse turbis sibi persuadens, veterem ad illam Clerum invitat, & theses promulgat X comprehensas articulis, quorum sequentes primarii: An revelationibus in Sacra non fundatis Scriptura, fides esset adhibenda? Num vita monastica, vel purgatorium, in illa haberent ali-quod patrocinium? Et an quisquam haberet potestatem altaris Sacramen-tum fecus quam Christus instituendi?

Sed frumentariam sublevaturus simul inopiam, ex Livonia multum annonæ procurat invehendum, nec tamen ora obloquentium obturat, & Braschium horum præcipuum intelligens Gustavus, quod Suetice translati, ac ex typographia publicatis Sudercopensi Edictis Cæsaris, Georgiique in Misnia

Misnia principis, adversus Lutheranos in Germania, non mediocres his ciēret passim tumultus, cœnobitisque illa Vastenensibus ad mensam prælegi curaret, XIII. Novembris, illi Rex usū interdicit calcographiæ, & hujusmodi spargere libellos, ceu largum seditionis fomitem, severè inhibet, ad convincendos que erroris, & sic plectendos quoq; novos concionatores, illum sedulò invitat.

Braschius vero haud inops consilii, prohibito Sudercensis usū typographiæ, ex Hafniensi suos publicat tractatus, & Regi, quoad disputationem cum Lutheranis, respondet, nec sibi, nec de suo ullum esse dubium presbyterio, de fide pristina, ut illud nova indigeret discussione, illustrationeque. Temerarium quoque, vel potius nefarium esse scelus, illam in dubium vocare doctrinam, quæ tot floruisse seculis intaminata; tot martyrum sanguine effet obsignata; tot SS. patrum testimonio robورata; & tot per orbem conciliis approbata. Ideoque Regem Gustavum, ad hujus defensionem hortatur, & nē laicos ad functiones Ecclesiæ non vocatos, munia pateretur sacra obire, flagitat, mercedem à Deo, laudemque ab hominibus, copiosas ita consequuturum.

Has porrō nactus ille literas, secundis Episcopum invitat ad concertationem cum Evangelicis ineundam concionatoribus. Quam suis protinus recusat Braschius, afferens Lutheri dogma, plurimis olim damnatum conciliis, haud opus esse novis ventilare disputationibus, quæ in præjudicium cederent totius antiquitatis.

Demum XI. Decembris, in epistola queritur, D. Petro Benedicti destinata, quod avitæ negotia religionis susque deque ferrerentur in Suecia; nulla privilegiorum vel sigillorum haberetur ratio; præcipites ruerent plurimi ad libertatem novi Evangelii; in foro effet gladius, domi mors, & tandem cum Regis cor in manu versaretur Omnipotentis, quod solus de Saulo ipse posset, quando placeret, Paulum efficere. Post XIII. vero dies, Episcopum, & Decanum, Stregnenses, M. Georgium Præpositum, D. Petrum Galle, atque D. Ericum Geting, Canonicos Upsalenses, consolatur; ad constantiam hortatur; illorumque necessitati se haud defuturum pollicens; afflictionem Ecclesiæ Suecanæ, inaugurationi Antistitutum prorogatæ esse imputandam, protestatur, & successum Scaren sis Episcopi Romæ illis insinuat, utque crebrò de suo facerent statu se certiorem, obsecrat.

A reliquis interea Regis Gustavi adversariis, mortuo persimilis Nicolao Sture, juvenis sollicité inquiritur, & Joannes quidam nomine, natus parente agricola, sed in aulis nobilium educatus, deprehenditur, producitur, inque Dalecarliam perducitur. Illic, quandoquidem Nicolao effet simillimus, & formæ præstantiæ, sermonisque facundiæ effet conspicuus, velut angelus cœlo lapsus, à plurimis suscipitur Dalecarlorum, Stenonis progeniem summoperè diligentibus, & Regem Gustavum, religionis ergo permutatæ, contemnentibus.

Quocirca incolis in concionem vocatis, suam manifestat intentionem; ob fidelem parenti navatam illos commendat operam; sibi, velut filio, ut subsidia quoque ferrent, orat, illaque adversus Gustavum, qui thronum non contentus nullo sibi jure abstulisse, vitam simul eripere fuisset nefarie molitus. Atqui structas sibi insidias divinitus omnino evasisse, ut ipsos, patriamque liberaret universam, à Gustavi tyrannide, qui hæreticam illis doctrinam obtrudere, veterem proscribere, conaretur; ideoque Sacerdotes captivavisset insontes; regni Archipræfulem exterminavit; cœnobia occupasset; Ecclesiæ solo adæquasset; jejunia violasset; & laudabilem vestiendi morem abrogavisset. Nec difficilem illius fore profligationem ostendit, si patriæ nollent Dalecarli deesse, cum potissimos regni Optimates & Primates suis addictos haberet partibus, populumque

regni universum, atque indubium ex Norvegia quoque prætolaretur auxilium. His Dalecarlorum aliquot parochiæ sermonibus seductæ, opes & opem supposititio spondent Nicolao, ac nonnullos corporis illi custodes, quos inter miles quidam fuerat insignis, Petrus Gröem, servitor quondam Stenonis, & inventor, succendor, actor & choragus hujus fabulæ, à regiis dilectus osoribus. Hic diu moratus in Norvegia, suo suasit Nicolao illuc profecionem, certum Archiepiscopi subsidium habituro, indèque cum Sueonum quibusdam consilia communicaturo; sed ante horum reversionem, nullam Dalecarli seditionem vel rebellionem Gustavo moturi essent, à qua tamen fibi non temperantes, Regi produnt factionem.

Anno MDXXVII. Prænobilis heros, Thuro Joannis, supremus regni Senator inter Politicos, ex latifundio suo Lindholmensi, Xenodochium hujusmodi fundaturus, cuiusmodi esset illud de Saxia, Romanum, veniam gratiamque à Clemente VII. postulat; sicut etiam cum filius Johannes cognatum ducturus esset Christinam, Stenonis viduam, licentiâ indigeret Pontificis, illam pariter obsecrat, & votorum compos evadit. Ex hoc autem propagati connubio, Comites ab Haga & Bogesund; sed ex priori Christinæ matrimonio, Vestervenses procreati sunt Comites.

Cæterum XXII. Januarii, Braschius D. Petro Galle animum Regis manifestans, de provinciali celebranda propediem synodo, in qua, disputatione Catholicos & Lutheranos inter habitâ, præsens religionis controversia esset decidenda, multis declarat verbis, quomodo hujusmodi concertatio, licita, vel illicita foret, quandò periculosa, vel fructuosa censeretur. Non tamen regiæ obiectandum esse voluntati, verum animosè disputandum, indubiamque expectandum esse victoriam; siquidem illius ageretur causa Ecclesiæ, adversus quam portæ haud forent infernales prævalituræ. Id solum esse optandum, ut Doctor cum Doctore, miles cum milite, & Rex cum Rege, congererentur; cùmque Anglorum Rex modò in arena cum hostibus versaretur, ipsum fibi Rex Gustavus exposceret antagonistam. Demum Enchiridion Joannis Echii nuper publicatum, inque Sueoniam allatum, se D. Petro deinare memorat, non quod inermem existimaret illum, ast ut cognosceret, quibus Echius instructus armis, ipsum priùs prostravisset Lutherum.

De his factus Rex certior, II. Februarii, Braschium factionis accusat, qui post VI. indè diem respondens, afferit se Upsalensisbus aliud non scriptissè, quām suum requireret officium, deceretque honestum patriæ virum, ad idem quoque Regem obstrictum esse, nomine obligationis, Ordinibus regni traditæ; Et illum animæ, famæque melius consulturum, si Lutheranam non amplecteretur doctrinam, priusquam in Oecumenico illa foret concilio ventilata, approbata vel damnata; Regiæ deinceps prudentiæ considerandum relinquit, quām esset conveniens in Speciali velle synodo Sueciæ, illud dogma examinare, quod toties in generali orbis Christiani concilio fuisset datum? Vetuit insuper Rex Gustavus, nè quidquam Episcopus typis submitteret Hafniensisbus, nisi priùs à se foret lustratum & approbatum; ut etiam restitueret hierothecam, in cœnobio acceptam Chronebecensi, monuit.

Post biduum verò Braschius, ad Thuronem Joannis perscripsit, affirmans de præsenti rerum statu Sueticarum, lubens quidem se velle ipsum consulere, sed nequaquam audere, solum petere se judicium Thuronis de his, quos illi destinaret, articulis, proxima examinandis disputatione, ac decreuisse, priscae majorum adhærere fidei, novo Lutheri dogmate penitus repudiato,

Quibus Gustavus, pro tempore, Braschii connivens molitionibus, suo nihilominus satisfacit desiderio, M. Laurentii Andreæ, sui Cancellarii, & M. Olai

Olai Petri, suasionibus obtemperans, horumque consilio Upsaliam ad nundinas profectus Disanas, secum illuc vincitum perducit, Petrum Jacobi, quem illic pars Suetici ac Stockholmici Senatus, morti adjudicat, eamque protinus subiit, XVII. Februarii gladio cæsus, & celsiore ad austrum sub Upsalia clivo rotis impositus. Inde tamen post octiduum acceptus, mandato Regis, in cœnobio ibidem tumulatur Franciscanorum.

Succensuit autem Rex Gustavus plurimum Arosiensi & Stregnensi Episcopis, quod huic adesse noluissent judicio, nec sententiam mortis in reum proferre, qui ad vicinum secedentes conclave, protestationem Regi contrariam confecerunt, & clanculum subscripterunt. Hinc, velut etiam, quod Petrus ob defensam diceretur avitam passus religionem, atque tempore supplicii, tres in cœlo visi fuissent soles, plus ille mortuus, quam vivus, commovit in Suecia tumultus, pariterque M. Canutus, qui XXI. Februarii sub Stockholmia simili affectus fuit suppicio, dissecitus, ac in furcas conjectus. Enimvero fama hujus rei quantocuyus regnum pervagata, incolas vehementer contra Regem inflammavit, & potissimum Dalecarlos; Qui contemptâ sui Nicolai inhibitione, arma corripiunt; Stenonis se filium naçtos divulgant, illi thronum, Gustavo exturbato, deferendum affirmant; & reliquos Sueonum ad hanc militiam serio invitant, seque primarios Ecclesiasticorum ac Politicorum habituros jaçtant commilitones.

Gustavus itaque rebellioni obviaturus, literis nunciisque ad seditiosos quaquaversum destinatis, evidenter demonstrare conatur rationibus, verum Stenonis filium Nicolaum, anno mortuum superiori: hisque multi Dalecarlorum persuasi, fictitium deserunt Nicolaum; illius sectatores impetunt, & tandem inducias cum ipsis menstruas faniunt. Sed indictum Sudercopiæ conventum, pro religionis statuenda illic concordia, intermittere cogitur Rex Gustavus; ubi quidam duntaxat Procerum congregati, Dalecarlis significant, repertitio illi Nicolao nihil omnino subfidi ab ullo Summatum expectandum, quod regi Gustavo essent adhæsuri, sanguinemque, si foret opus, pro illo fusuri, rebelles ad eandemhortando fidelitatem, & mendacia Nicolai manifestando.

Is autem hactenus in Norvegia moratus, illius Senatum similibus pertraxit figmentis ad suum obsequium, ipsis Vichiæ se restituturum promittens, si auxiliis illorum Sueciâ potiretur; hocque dolo mediocres inde copias adipiscens, quibus Norvegi manifesto persoluturi.

Proinde reor mandante, aut dissimulante Rege Friderico, has Gustavi hostibus latas in Norvegia esse suppetias, quod non Vichiæ solum, ast Sueciæ inhiaret clam universæ, & Regi Gustavo bellis civilibus implicato, vel sublato, se voti non ægrè compotem fore speraret; hancque roborat suspicionem, quod Norvegos hujus nomine subsidii à Rege Gustavo accusatos, non mulctasset. Præterea illi arctius sibi hunc Nicolaum devincturi, prænobilem ipsi virginem illic desponsant, à cujus matre, præter alia magni valoris munera, prælargâ donatur auri catenâ, ceu arrabone connubii. Quâ sponsus ornatus, & CCC, armatis stipatus Dalecarliam repetit, regiosque impetit, & spem throni haud dubiam concipit.

Hic personatus Nicolaus, præcipue minatur Stockholmensis, idque propter susceptam D. Lutheri professionem, quas illi minas contemnentes, veteris exercitia religionis sensim ibi extirpant, & XXVII. ante Pascha die, senatus-consulto est decretum, ut cum grandis ille S. Georgii colossus, nimium occuparet spacii in Ecclesia S. Nicolai, ad januam collocaretur australem. Verum VI. ante Pentecosten die, in Senatu sta-

tuitur, ut Evangelica imposterum prædicatio, velut hactenùs, ibidem floraret, & concionatores omnino sacris Sueticè operarentur, ac interdum latinè, tribus duntaxat Senatoribus, missæ vernaculæ nequicquam oblitantibus. Interea temporis, Clemens VII. propter fœdus cum Gallo iectum, à Cæsare impugnatur, & VI. Maji captus, in octavum detinetur mensē, Lutherò, fautoribusque illi haudquaquam compatientibus. Quorum unus Sueonum Rex, hincque commodam nactus occasionem, opulentum regni Clerum in ordinem redigendi, rebellemque compescendi, Comitia indicit, Arosiæ, XX. Junii, hanc ob causam, & Dalecarlorum celebranda tumultum.

Immò non hac solùm tumultuatur provinciâ; sed qualibet regni ditione nova iterum gliscit seditio; eaque propter Lutheranæ introductiōnem religionis; Missæ apud Stocholmenses Sueticæ celebrationem; vernaculas in illa cantiones; militares in cœnobiis stationes; monasteriorum desolationes; novarum & incisarum vestium usurpationes; annonæ caritatem; minutiorem non esse signatam pecuniam; & insuetas, crebras, nimiasque contributiones.

His autem respondet Rex Gustavus populi gravaminibus, publicato per regnum diplomate, & illo simul Clerum, cuius nosceret instinctu, has sibi motas esse turbas, plebeculæ invisum redditurus, suis commemorat literis, se non hæreticam, verum Apostolicam promovere doctrinam; Ideoque Clerum, novam sibi affingere religionem, quod assereret, iniquum esse, ut agricola pisces vel avem sibi capiens in sustentationem, à parocho mox pecuniis mulctaretur; quod mandaret, ut clericus, in politicis responderet laico judiciis; ob mutuas non esset magis hic quam ille percussionses, diris vovendus, & anathemati subjiciendus; velut, etiam ut plebanus non arceret debitorem suum à Sacramenti perceptione, quod ad debitum persolveret; sed in foro illud ex legum præscripto exigeret; Ut neque Præfules forent amplius hæredes sacerdotum, intestato morientium cum maxima consanguineorum injuria; nec fundos retinerent, Coronæ fraudulenter subtraçtos, cum propterea Rex, ob illius inopiam frequentioribus quam esset equum, populum cogeretur exactionibus onerare. Denique in horum comprobationem, subiungit Imperatorem, propter hujusmodi arrogantiam sui Cleri, etiam ipsum nuper Romanum Pontificem, in vincula conjecisse.

Quibus Rex prætextibus, Cleri plurimum causam prægrayabat, & suam roborabat, modumque parabat securiorem, ad spoliandum opulentia potentiaque in proximis Arosiæ comitiis Antistites.

Quamobrem congregatis illic Ordinibus, primum absentes illuc litteris invitat blandissimis Dalecarlos, & nuncios eò destinat. Deinde Proceres regni politicos, hactenùs Cleri partibus studentes, ad suas pertracturus, in convivio XX. Junii Ordinibus regaliter exhibito, Senatoribus, aliisque regni Optimatibus, primum a solio regio tribuit sedendi gradum; secundum vero Episcopis, qui proximum à regibus multo tempore habuissent; tertium Nobilibus; quartum Clero reliquo; quintum civibus; & sextum deputat locum agricolis.

Ex qua sedium immutatione, status quoque sui, & religionis, diminutionem variationemque Præfules non obscure prospicientes, postridie cum præsenti hoc super negotio in Ecclesia S. Egidii, januis oclusis, deliberant Clero, & confectæ subscribunt protestationi, sancte spondentes universi, quod sponte Regis voluntati non essent obsecuturi, nec fundos Ecclesiæ ipsi permissuri, multò minus ayitam deserturi religio-

nem, hæcque sub cippo templi abscondita obligatio, & post annos reperta XV, Regi Gustavo præsentatur.

Is autem hujus modò ignarus conspirationis, Ordines præfato die congregatos, in cœnobio ibi Dominicanorum accedens, sequentia ipsis puncta discutienda & decidenda proponit: Inprimis, quomodo crebros populi, ac præsertim Dalecarlorum sedare liceret tumultus, quos attentata religionis immutatio, potissimum commovisset? Deinde, cum regiae conditio dignitatis adeò esset tenuis, ut suus in throno antecessor Steno, non plus quam D. in bello milites, de Coronæ posset alere provenientibus, illaque proflueret inde penuria, quod priores Sueciæ Gothiæque Reges, perperam à Clero persuasi, plus æquo de prædiis Reipub. illi atque Ecclesiæ olim donavissent. Atque hinc regni Antistites, eò potentiae & opulentiae evasissent, ut Regibus essent ipsis locupletiores; illis non raro se opponerent, cum maximo patriæ detimento; fortissimas sibi arcæ conderent; obseSSI diu illic se defenderent; ac thronum Dâniæ Regibus sæpenumero proderent. Inferior etiam regni Clerus, nimiis abundans redditibus, immodico indulgeret passim luxui, nec suo satisfaceret officio, cum plurimarum periculo animarum. Præsertim verò Ecclesiæ Patres cathedralium, & cœnobitæ, annuis de redditibus viventes, prædictâ distraherentur abundantia, illaque potissimum de causa, quod pleraque monasteria, pro LX, vel XL. olim personis fundata, & dotata, non pauca illorum hodie à VI. vel VIII. duntaxat incolerentur personis; priostis tamen levantibus redditus, indeque turpiter luxuriantibus. Equestrem simul regni Ordinem hanc quoque propter causam, tantopere exhaustum esse commemorat, ut ab inopi opem regni principe, identidem flagitare cogeretur, & ruinæ proximum, nisi auxiliaris quantocyùs ipsi manus porrigeretur.

Quamobrem poscebat Rex Gustavus, ut Præfules, Clerusque Regni universus, de necessaria provisi sustentatione superfluos restituerent Coronæ proventus, & quæ adversus Caroli regis inquisitionem, ab anno MCDLIV. donata Ecclesiasticis essent prædia, ad legitimos redirent hæredes, quorum majores, cum suæ injuria progeniei, penuriaque, illa Clero, vel Ecclesiis quondam legassent. Et hoc quidem Rex Gustavus eâ fecit intentione, ut patritii Sueonum, in prædæ admissi partem, ipsis sibi obsequientiores fidelioresque redderet. Sed plebeculam huic simul additam causæ facturus, spondebat, ubi Clerus aliquantulum esset emunatus, non toties ipsam contributionibus esse exauriendam. Neque his Princeps contentus, arcæ ab Episcopis exigit; mulætas per ipsis hactenus levatas, postulat; appellations Romam, & confirmationes inde peti consuetas, abrogandas, velut regno perniciofas, desiderat; Ecclesiæ Stockholmianæ suburbanas, certè hostiùm latibula, bcupit diruendas, & priarias Cleri prærogativas, censem antiquandas, penitusque proscribendas.

Inde laicorum sibi animos magnopere devinciens, ac præsertim Stockholmianum, qui alias propter fideli innovationem, quam illi essent amplexati, Regi Gustavo erant addictissimi, aliosq; civitatuni incolas ipsi propensos reddiderunt.

Oratione finitâ, poscenti responsum regi Gustavo, non minùs prolixo respondet sermone Braschiis Ostrogothiæ Antistes, totius Cleri nomine, asséverans, quæ à religiosis essent majoribus divino assignata obsequio, à minoribus fine horrenda numinis indignatione, nullatenus posse revocari, aut abalienari. Præterea regni Clerum ita dependere ab arbitrio summi Pontificis, ut citra ipsius permissionem in hujusmodi non licet illi quicquam attentare negotiis! Quæ adeò displicuit Principi responsio, præsertim cum simul à reliquis appro-

baretur Ordinibus Ecclesiasticis & Politicis, ut cum indignatione assurgens, se regio abdicaret officio, ac solutionem pro hæreditariis in regno fundis, impensisque in patriæ vindicationem ex tyrannorum potestate factis, flagitaret; his acceptis ex Suecia migraturus, nec unquam rediturus esset. Et sic reversus in arcem, quatriduum in ea moratur, & cum peritioribus rerum militarium familiarius conversatur, meditans fortassis rebelles armis ad obsequendum suæ voluntati compellere, quorum formido non mediocriter Ordines perturbavit. Excepto tamen viro magnanimo Thurone Joannis, aulæ magistro regiæ, qui his minimè perterritus, nec quòd conjugem haberet Regis amitam, remoratus, se acerri-  
mum Cleri præbuit defensorem, & vesperi hospitium repetens, præeun-  
ti mandat servitori, iracundo tympanum sono pulsare, ipsemque subse-  
quens cum fremitu submurmurat, sibi nequaquam Lutheri dogma obtru-  
sum iri.

Per sequens deinde biduum Ordines congressi, discordibus consul-  
tarunt sententiis, donec Cancellarius ex parte regia, M. Laurentius; & ad-  
versaria, M. Magnus, Sudermannia Præsul, copioso persuasissent sermone  
Ordinibus concordiam, affirmantes securiorem Sueonibus hic non esse  
viam, quam regiæ obtemperare voluntati. Magnus quoque Bruntonius,  
Procerum non postremus, Thuro sevocato, pericula insinuat impen-  
dentia, afferens prudentis non esse viri, non velle tempori servire.  
Indeque Thuro superatus, salutaria monenti consentit; ingeminans ta-  
men, nisi Gustavus resipisceret, sibi haud defuturam deinceps occasio-  
nem illum deponendi. Stocholmenses denique, siam protestantes civita-  
tem ad manus Regis Gustavi septennio conservandam, regios vehemen-  
ter quoque perculerunt adversarios. Itaque de propositis Ordines jam  
fermè concordes articulis, sola remoratur religionis dissensio. De qua  
propterea, XXIII. Junii, Doctor Petrus Galle, Upsalensium Archidiaconus,  
cum M. Olao Stocholmensium Syndico, & Ecclesiaste, causam propu-  
gnante Evangelicorum, acriter disceptavit, donec illud nox dirimeret  
prælium.

Postero autem die, qui divo fuit præcursori sacer, Rex Gustavus  
jam Ordines suis inclinatos votis intelligens, & ab illis quām humillimè  
sæpius vocatus, ad ipsos descendit, animosque Præsulum in primis explo-  
raturus, à Magno Stregnensium Episcopo, arcem poscit Tonnelsiegensem,  
& à Magno Scarensem Antistite, Lechensem, nec ægrè admodum illas  
obtinet. Deinde Braschius, ad Munchabodensem Regi permittendam, sol-  
licitatus, orat ut sibi permitteretur superstiti, & non solum repulsam pas-  
sus, castrumque ipso invito occupatum, ac satellitum illius regio proti-  
nus adscriptum servitio; verū & ipsem, datis sponsoribus, novam  
Principi fidelitatem spondere compellitur, & cum ipso reliqui Præsules  
ad subscriendum constitutionibus Arosiensibus, adiunguntur.

His porro fuit decretum, præter articulos commemoratos, ut in  
scholis sacra prælegerentur biblia; Episcopi, Ecclesiæ idoneis conferrent  
sacerdotibus; sed canonica nemini largirentur beneficia, Regis absque  
consensu; distinctæ citra necessitatem parochiæ, ita essent ordinandæ, ut  
binæ in unam converterentur; Laicus percutiens Clericum, non foret  
magis imposterum anathemati subiectus, quām adversarius, reusque mul-  
ctaretur, ex legum præscripto civilium; Defuncti bona sacerdotis, legitimi  
caperent hæredes, non Episcopus; Sponsus, ante nuptias impræ-  
gnans sponsam, non more plecteretur haec tenus usitato, nisi eam repudia-  
rit; Clericus, in causa profana forum adiret politicum cum adversario, in  
aliis, Ecclesiasticum; Monachis liceret mendicantibus, bis solum in anno  
regnum

regnum, pro colligenda eleemosyna pervagari, nec ultra V. abessent septimanis; nec plebeulæ faces adderent seditionis, prout illi, scholaresque, facere consuevissent, multâ insuper aliâ ipsam vanitate imbuentes; Denique purum toto Sueonum regno prædicaretur Evangelium.

Ità voto satisfactum regio, quòd sororius regis Gustavi, Johannes Comes ab Hoya, primus regni Senator; M. Laurentius Andreæ; M. Olaus Petri; & Stocholmenses sedulò, promoverunt; hisque ideo liberaliter confirmavit Rex privilegia, XXVIII. Junii. Ac Ordinibus indè domum reversis, per suos quaquaversum nuncios in regno expeditos, ex Cœnobiis & Ecclesiis literas corradit, quibus fundi Clero essent donati, modoque illa duntaxat prædia suo, & Reipublicæ deputat fisco, quæ post MCDLIV. cessissent annum Clero.

Verum temporis procursu, reliquos hujus fundos, penè innumeros, cum bonis Ecclesiarum & cœnobiorum mobilibus, suæ fecit jurisdictio-  
nis. Hinc tot regiae sunt familiæ prædia modò hæreditaria. Hinc tantus, quem liberis Rex Gustavus reliquit, fuerat thesaurus. Hinc demum insignis belli nervus, quem Ericus contra Danum; & Johannes contra Mo-  
schum, cum maximo patriæ emolumento ornamentoque insumpserunt. Quidam verò Procerum, arbitrati minus æquam hujusmodi prædarum fuisse divisionem, Regi Gustavo illam propter crebrò insidiabantur, nec a-  
liquo successu lætabantur.

Quare Fridericus Danorum Rex, licet Regem Gustavum throno lu-  
bens Suetico exturbasset; tamen prudentiam ipsius tantam admiratus o-  
pulentiamque, maluit ille, & Rex Christianus filius, amicitiam cum Sueco  
institutam colere, quām bellum gerere. Proindè intelligens Norvegos Rex  
Fridericus, non sibi diadema, nisi Vichiâ prius restitutâ, collatuos esse, per  
legatum in Sueciam expeditum, amicum Regis Gustavi postulat hac su-  
per provincia colloquium, Calendis Augusti, propè regnorum limites insti-  
tuendum. Sed Rex Gustavus, quòd turbis foret impeditus domesticis,  
Danum vicissim obsecrat, ut illud in sequentem differret annum. Quo con-  
tentus ille responso, & animoso, lucrosoque Regis Suetici exemplo invi-  
tatus, in celebratis Ottoniæ XV. Augusti Comitiis, quædam solum fun-  
damenta jecit pro ejusmodi propediem in Dania, cuiusmodi nuper in Sue-  
cia, reformatione fabricanda, nec porrò ausus pro tempore ob Episcopo-  
rum potentiam quidquam attentare. Ibi siquidem libera concessit Evan-  
gelicis in Dania fldei exercitia cum Catholicis, donec in Oecumenico hæc  
controversia decideretur Concilio, & quid acceptandum vel reprobadum  
concluderetur. Interea quoque Præfules à suis designati Assessoribus, à  
Rege, non Pontifice impetraturi essent confirmationem Romano. Licitum  
pariter esse cœnobitis imposterum, volentibus, matrimonia contrahere, suo  
Rex promulgat edicto.

Quamobrem brevi tempore quædam desolata penitus sunt monaste-  
ria, & concionatores Evangelici ex latebris progressi, non paucos Dano-  
rum lucrabantur. Audaciorem verò hac in re solito Regem Fridericum  
nunc reddidit summi Pontificis captivitas, & nihilominus regni Antistites  
se Principi opposentes, secùs juramento ipsum inaugurali pollicitum esse  
vociferantur. Quos ille aliquantulum placaturus, spondet Clerum in fo-  
ro solum Ecclesiastico, suis responsurum adversariis, & priscis fruiturum  
proventibus, donec processu illi juridico repeterentur.

His Episcopi non fidentes promissis, & successum indignabundo fe-  
rentes animo Evangelicorum, ut illorum conatibus tempestivè obviarent,  
celeberrimos Germaniæ Doctores, Cochlæum & Ecchium Ingolstadio in  
Daniam allicere conantur. Sed spe suâ frustrantur, & horum unus Jo-  
hannes

hannes, Fioniæ præfus, ipsem novum occursum dogmati, civibus illud Assensibus dissuadere laborat, protestans, se ad Lutheri concessurum partes, si concionator illorum, Christiernus Scrochius, sibi demonstrare posset aliquos Sacrae Scripturæ articulos, in Ecclesia Catholica laicis diu fuisse occultatos, & affirmans, ipsum Catholicis imposuisse, hortansque Assenses, ne avitam desererent religionem. Lago etiam, Roschildensis Episcopus, & Hafniensis Academiæ Cancellarius, mandat Professoribus, ne ullum in Theologicis admitterent prælectionibus discipulum, quem non constantem fore in Catholica noscerent religione, quod auditorum non pauci eam deseruerint. Ac in omnibus quidem Daniæ civitatibus, Lutherus florescit; sed tamen Malmogiæ potissimum, ubi dilapsis Monachis, cœnobium S. Spiritus, in prætorium convertitur; & Minorum habitatio, in nosocomium. Princeps Christianus interim Regis filius, paterno invitatus exemplo, in Holsatia & Dithmersia non segniorem dat operam doctrinæ veteris innovationi, hac in re utens D. Eberhardo Magdeburgensi. Nec rebus indormiens Rex Fridericus politicis, ab Ordinibus, in conventu Ottonensi, obtinet confirmationem subsidii, adversus Christiernum & fautores, haecenùs biennio dilati, ac legatis in Galiam transmissis, vetus cum rege Francisco in hostes restaurat fœdus.

Rex Gustavus in Sueonia statutum exequens pedetentim Arosiense, suburbana Stocholmiae tempula, cœnobiumque S. Claræ, solo adæquat, & XV. Augusti, moniales inde migrant ad insulanum S. Francisci monasterium, quod profugientibus ex illo monachis, erat habitatore fortassis vacuum.

Propter hujusmodi verò decreti executionem, & religionis immutationem, cognoscens Rex Dalecarlos denuò, procul dubio ab Episcopis ad seditionem provocatos arma resumpsisse, suoque Niçolao auxilia promisisse, Christinam impellit materteram, ad scribendum illis Arosiâ, & demonstrandum, non esse suum filium hunc Nicolaum. Atqui cum ipsos nullam his fidem literis tribuere cognosceret, insignem contra rebelles direxit exercitum; quo cum inducias pæcti, spondent Regi obedientiam, dummodo his subscriberet primum conditionibus: Rebellionem si condonaret; securum Nicolao abitum ex regno permitteret; quod sibi Lutheri non obtrudendum dogma promitteret; si versicolere habitu nec se, nec suos servitores imposterum usuros sponderet; Et si vescentes die Veneris carnis, consentiret exurendos. Sed primis solùm duabus, impetrant consensum; & nihilominus armis depositis, domum redeunt. Nicolaus autem paucis stipatus, Norvegiam repetit, & inde Rostochium proficiuntur, ut extorris se Christierni conjungeret sectatoribus.

Secretarius tamen Nicolai, Laurentius Sigfridi, presbyter Stocholmenis, in Novembri, Stocholmiae gladio cæsus, rotis imponitur. Sequentis porrò mensis die IV, M. Laurentius Cancellarius, & M. Olaus, urbis Secretarius, mandato Regis cœnobium ingressi Dominicanorum Stocholmenium, cimeliarchium perlustrant, & monachis egressionem suadent. Quocirca postridie Petrus Oxonius, Prior; Laurentius & Engerus, Lectores, coram Senatu urbis questi de sua inopia, protestantur se diutiùs in monasterio degere posse, cum proventus essent ipsis subtræcti, & plerique civium eleemosynam sibi denegarent; veniamque propterea orant egrediendi, quam non ægrè obtinent. Igitur M. Laurentius atque M. Olaus, cum Regis quæstore protinus monasterium intrantes, preciōsiora inde cimelia deportant in castrum, ac reliqua inter monachos distribuunt abituentes. Nec multo post tempore, cœnobium solo fuit adæqua-

æquatum; nobiliora illius ruderā in ædificium arcis translata, & area in hortum Regis commutata, in qua deinceps Rex Johannes III. splendissimæ posuit fundamenta Ecclesiæ ad fastigium non perductæ,

Verūm Johannes Gothus, Upsalensium Archipræsul, isto degens anno in Polonia, cum Rege Sigismundo agit de Hedvige filia Regi Gustavo impetranda, & tandem consentit Polonus, C. millia aureorum dotis nomine cum ipsa daturus, sponsamque huc missurus, dummodo sponsus Lutherano nuncium dogmati vellet remittere, & pristinam Catholicis permittere religionem. Quod Rex Gustavus præcise recusans, virginem non impletat; & cùm Rex Sigismundus de pervertusta Regum Sueticorum profapia esset oriundus, utpote aviam habens maternam, Valdemari Regis Suetici trineptem, ipsi legatus, aliique postea extorres, Præsules ac Proceres, diadema patriæ frequenter obtulerunt, quod ille propter nimiam regnorum distantiam recusavit.

Rex Gustavus interim hujusmodi non formidans machinationes, pacatis, ut dictum est, Dalecarlis, Uplandisque, inferiores regni provincias oberrat; cœnobiorum & Ecclesiarum archiva cathedralium perlustrat; diplomata, proventuumque catalogos congregat, & non mediocriter ærufat; ac denique sub anni terminum, Lincopiam in redditu perveniens, splendidissimo per urbis Antistitem Johannem Braschium excipitur convivio, & plurimum exhilaratus, rogatusque ab Episcopo, ut se fidejussione nuper Arosiæ imposita, dignaretur absolvere, obsequitur. Itaque uni satisfactum suo desiderio Præsul lætatus, ut alteri pariter responderet Princeps de secura ex regno migratione, prætendit se paratum æstate proximâ apud Gotlandos, ex more veteri Ecclesiasticam obire visitationem, ut simul indaget ibi passim documenta, jurisdictionem Sueonum adstruentia in Gotlandiam. Quod ideo promptius Rex approbat consilium, & insulæ Gubernatori Braschium nomine visitationis sedulò commendavit, Stockholmiamque ex Gothia reversus, suam promulgavit coronationem, principio anni sequentis celebrandam, haec tenus prorogatam, donec Episcopos regni exarmasset, & tumultus sedasset, nec diutius differendarū esse, quod potentes haberet regni competitores, ac vehementes osores.

Anno MDXXVIII. Princeps Gustavus, suæ inaugurationi, Præsulum quorundam ratus consecrationem esse præmittendam, Magnum Scarensem, Magnum Stregnensem, & Martinum Abensem, Sregnesiæ, V. Januarii, per Arosiensem procurat Antistitem Petrum sollenniter invitando. Nec prius M. Laurentius Andreæ, illud cui negotium Rex commisisset, Petrum huc permovere poterat, quam candidati literis spöpondissent, quod sibi confirmationem Romæ impetraturi essent, & Petri essent illic excusationem facturi, citra licentiam Pontificiam conseruantis. Postea Upsaliam illi, Ordinesque reliqui, cum principe candidato festinarunt, & pridiè inaugurationis, illi ab Ordinibus sciscitanti, quid causæ foret, quod plebecula toties, ac præsertim Dalecarli se præberent rebelles? Responsum est à Statibus: si necessaria cœnobitis præberetur sustentatio; nec impunè de monasteriis profugere finerentur. Velut etiam, si esus carnium die Veneris & Sabbatho, nemini per regnum indulgeretur, Principem certò fideles ac morigeros habiturum esse universos regni incolas. Verūm his contemptis, ut reor, Gustavus, XII. Februarii, quā par fuit dignitate ac sollennitate inauguratus, sequentes Sueciæ Optimates, de patria bellè promeritos, Equestri decoravit honore, nempè Laurentium Siggonis, Marscalcum, Birgerum Nicolai, Eri-cum Flemming, Johannem Thuronis, Magnum Bruntonis, Nicolaum

Olai, Thuronem Erici, Canutum Andreæ, Magnum Johannis, Benedictum Nicolai, & Petrum Hardium.

Deinde conviviis & spectaculis dies aliquot impenduntur, illisque transactis, versus ad feria Rex Gustavus negotia, de bello Dalecarlis iterum tumultuantibus inferendo, cum Ordinibus liberat, quod concorditer fuit approbatum. Itaque Sueones Gothique Februario mense Arosiam vocati, certatim illic convolant armati, & XIV. illorum millibus Rex stipatus, Dalecarliam versus properat, præmisso hortans rebelles nuncio, ut sibi in parochia occurserent Thunensium, ad pugnandum armati, aut veniam parati obsecrandum, alias ipsos domi ferro flammaque mulctandos. Qui propterea huic velut salubriori obtemperantes mandato, inermes ibi comparent, illorumque protinus ex agmine frequentissimo, seditionis authores productos, gladio submittit feriendos, & alios domum remittit trepidantes, ac obedientiam sancte pollicentes.

Hinc verò in Helsingiam profectus, boreales ibi similiter occurrentes populos, hactenus quoque propter religionis innovationem minus obedientes, rebellionis graviter accusat, & pecuniâ solùm primarios illorum mulctat, victorque Stockholmiam remeat; illic comprehensum tenuit Petrum Grym, quo adversarii in tumultibus usi essent Dalecarlicis, ceu milite bellacissimo, & viro prudentissimo, illumque propterea securi obturcavit. Braschius autem hujusmodi territus exemplis, mense Julio, suis in navem opibus congestis, in Gotlandiam velificat, & Wisbycensibus ac litoralibus duntaxat Ecclesiis paulisper visitatis, indè navigat Dantiscum, consultatum dubio procul cum Johanne Archiepiscopo illic commorante, aliisque propter fidem exulantibus de Polono in regem constituendo. Ac proindè non difficulter à Sigismundo principe securam ibi diversandi obtinuit facultatem.

Sed ineunte primum æstate, Arosienses deserunt cœnobium monachi, suauis Prioris Nicolai Andreæ, quem Rex Gustavus Decanum illic Episcopo deputasset, & sociis quasdam ruri commendat Ecclesiæ, qui ductis uxoribus, magno fuerunt Regi adjumento, aliique monasteriorum desertores, in propaganda per regnum Evangelicorum doctrina.

Similius quoque industriâ idem fuit dogma per Daniam prosemnatum, quorum unus Oderlebiensem natus hoc anno Ecclesiam, quod acriter in Romanum invehementur Archiflaminem, quem auscultatum Lubeco etiam plebecula confluxit; sed proprium Lubecenses concionatorem sunt Evangelicum adepti, MDXXX. Alter verò profugorum in Dania monachorum, M. Johannes Thausonius, qui clanculum hactenus doctrinam Lutheri Viborgensis annunciat, jam decreto factus audacior Ottoniensi, propalam cœpit eandem promulgare. Itaque Prior ipsum de cœnobio exturbavit, quem cives sibi parochum constituant, & armati audiunt; irruptionemque Georgii Præfulus aversuri, qui concionibus Johanni interdixisset, ductis per plateas catenis, aditum illi præcludunt. Vicissim quoque Antistes, insaniens timens populi furorem, Episcopium firmiter undique obmunit. Quem intelligens Rex tumultum, pacem imperat partibus, donec eò veniret ipse met, & M. Johanni facultatem interea concionandi permittit.

In Norvegia similiter religionis concedit Fridericus libertatem, & publicas modò Bergæ Evangelici cœperunt habere conciones, cum ingenti, non indigenarum, sed advenarum concursu, quorum etiam Danus flagitatione potissimum impulsus, his annuit exercitiis, haud sine proprio incommodo; Quandoquidem Norvegi mordicus adhuc veteri adhærentes religioni, eapropter Regi, & filio deinceps vehementer rebellant.

Fri-

Fridericus tamen, XV. Junii, Episcopo confirmat Hammarensi, sportulas ex agricolis levari solitas; & Stychoni Borglamensium in Dania Præsuli, firmam Episcopæ suis promittit literis possessionem, approbatis simūl privilegiis. Denique Lundensis & Ottoniensis Episcopi, Rege arbitro, in gratiam cum suis redeunt adversariis, quibus cum periculosam diu habuissent discordiam.

Ipsemet quoque Fridericus, suum timens inimicum regem Christiernum, & inaudiens ipsum, legato in Scotiam nuper transmisso, auxilium in Danos postulasse, suos quoque illuc destinat Proceres, invitatque Jacobum, suā genitum sorore, ad pristinum fœdus renovandum, & assensum impetrat. Nec illâ contentus fœderatione, novam cum Lantgravio, ac Saxonum Principe, instituit, ipsis contra hostes, M. pedites, & CC. equites, subsidio missurus, tantisque ab illis in necessitate copias viçissim habiturus esset auxiliares.

Quamobrem paucō deinceps post tempore, Saxo & Lantgravius, Moguntinum, Herbipolensem, & Bambergensem, impugnaturi Episcopos, promissum flagitant à Dano subsidium, & Julio mense, illis pecuniam pro tanto in Germania exercitu conducendo, transmisit. Siquidem Rex Fridericus, ab Episcopis regni, hanc ligam in Catholicæ vergentem fidei detrimentum, ægerrimo ferentibus animo, admonitus, nè militares ex Dania copias expediret alienigenis subsidio, cùm illud contra regni esset privilegia, & patria forsitan ipsa indigeret illis; Quandoquidem discordia super Vichia, nec dūm foret cum Sueonibus composita. Salubria porrò suadentibus obtemperans Rex, prædictum confederatis submittit aurum, non exercitum, & litem cum Sueco transacturus, colloquium super illa Ludosiæ obtinet. In quo tamen ea non potuit componi, in aliud prorogata tempus, ab externis decidenda sequestris. Nè autem sine omni prorsus fructu transfiret hic conventus, XVII. Augusti die, fœdus quoque pangunt Dani & Sueones, sibi mutua latrū auxilia in Christiernum terrâ marique, quod Rex Fridericus, XII. Octobris, suis pæctum literis approbavit, & Regis Gustavi salvum etiam conductum sorori, per Daniam ituræ sub brumam in Germaniam, in negotio sui connubii, assignavit.

Post abitum Ludosiæ Commissariorum Danicorum, Rex Gustavus cum suo remanens Senatu, & forte animadvertisens, quosdam in illo sibi minus fideles, novum à Consiliariis juramentum, super stricto præstitum gladio, acceptat. Deinde à profanis ad sacra conversus, monachos illic expellit, ad alia sui ordinis cœnobia migrantes, & horum convertit divisorium, in nosocomium.

Braschius autem hoc tempore Dantiscum delatus IX. Septembbris, Regi Gustavo perscribit, excusans suum ex regno abitum, affirmansque, se tempestatibus ad litora dispulsum esse Pomeraniæ, ac inde Gedanum navigasse, ut illic ope medicorum, pristinæ restitueretur valetudini, quâ recuperatâ, in patriam esset redditurus, interea suam commendans Regi Ecclesiam. Atqui modico post tempore, aliis cum eodem expostulat literis, de injuria suæ, totique Sueonum Ecclesiæ, in comitiis irrogata Arosiensibus, protervè flagitans prædiorum, & castri Munchabodenfis restitucionem.

Verum Braschii absentiâ, & Regis assistentiâ, M. Olaus Petri redditus animosior, libellos Suetice publicat aliquot, ex operibus D. Martini Lutheri compilatos, quorum primo, XIV. Augusti divulgato, de legitimo sacramentorum usu, ex præceptoris disputat sententia; ut etiam de sacrificio missæ, Purgatorio, & canoniciis beneficiis. Altero probat, conjugium sacerdotibus esse licitum, Episcopos, & regni Clerum, ad illud sedu-

sedulo exhortans. Tertio libello, XIII. Novembris edito, vitam acriter perstringit monasticam, ad illius sectatores, amicam denique instituens paræsin. Quarto, XVIII. Decembris, in lucem prodeunte, de verbo Dei, & traditionibus differit humanis. Interim quoque illius symmista, M. Laurentius Andreæ, exiguum promulgat tractatum, de fide, ac bonis operibus. Quæ profecto opuscula, incendio Vestrogothiæ, sub finem anni currentis, gliscenti, & principio sequentis, flagranti, largum simul præbuerunt fomentum.

Anno MDXXIX, Præfules, & quidam Daniæ Proceres, Catholicæ amantes religionis, considerantesque, Rege Friderico vivo, D. Lutheri non extirpatum iri doctrinam in Dania, nec secundum illius obitum, si princeps Christianus illius primogenitus, ad regni promoveretur gubernaculum, quod hic non minus esset Luthero addictus, quam pater Fridericus. Propterea principem Johannem, Regis filium minorenem, consensu parentis in Daniam vocatum, inque fide educatum pristina, ad solium deinceps regium subvehere decreverunt, & XIII. Januarii, eâ ipsum intentione in Daniam acciverunt, reliquis Ordinibus inconsultis. Quam Rex Fridericus non animadvertisse astutiam, & intelligens in conventu Spiræ imperiali, libera Europæis permissa esse religionis exercitia Lutheranæ, ad Concilium usque Oecumenicum, novo per sua regna edicto publicato, quibuslibet Daniæ ac Norvegiæ inhabitatoribus, potestatem illud amplexandi dogma facit amplissimam, vocatumque Viburgo M. Johannem Tausonium, Hafnensisibus assignat parochum, qui tempore autumni, Danicas orsus cantiones, in Ecclesia urbis primaria cantillare, non citra vulgi applausum.

Hac etiam gavisi libertate Malmogenes, qualibet ex sua proscribunt urbe fidei veteris exercitia, horumque fautores, & Evangelicos in quavis constituunt Ecclesia concionatores, gymnasioque simul apparato, IV. in ipso Theologiæ ordinant Professores, de annuis liberaliter provisos salariis, nempe Olaum Chrysostimum; Claudium Victorem; Andream quendam; & Franciscum Veremundum; plerosque Monachos, horumque ex officina prodierunt literaria, protomystæ Scanorum Lutherani. Quam Rex cognoscens innovationem, non modo illam gratulatur Malmogenis; sed rogatus, bona quævis, mobilia & immobilia, prioris Ecclesiæ, illis largitur.

Verum enim inverò, XXIX. Aprilis, Lago, Roschildensium Catholicus Antistes, ex vivorum numero decessit, illique Joachimus Ronnovius, illâ successit conditione, quod Regi fidelis, nec doctrinæ rebellis Evangelicæ, esset futurus, & pro collatione, confirmationeque, juxta decreti vigorem Ottoniensis, Regi Friderico VI. aureorum millia numeratus foret. Quibus tamen haud stetit candidatus promissis cum Lutheranis, quoad vixerat, acerrimum se præbuerit adversarium, prout sequens testabitur historia. Is etiam Regis spretâ confirmatione, aliam à M. Georgio Scorborgio, Lundensium Primate, apud Lubecenses modo exulante, simulque inaugurationem, postulat, hujusmodi Romæ non audens polcere beneficia, quod statuto terreretur Ottoniano. Atqui Scorborgius, XXVIII. Julii, respondens, hæc suæ non esse potestatis, consulit ut ea Romæ impetraret, protestando simul contra decretum illic præfatum, obsecratque, ut Joachimi promotione, Lundensi restitueretur cathedræ. Joannes quoque Beldenachius, Ottoniensium Episcopus, propter religionis in patria mutationem, diœcesin Canuto Gyllensternio assignat, acceptis ab illo VI. aureorum millibus, D. insuper quoad viveret annuatim habiturus, migratque Lubecum, ubi reliquum vitæ traduxit.

Novis

Novis autem dogmatistis, se potissimum in Dania opposuit vir doctissimus Paulus Eliæ, Carmelita Helsingorensis, qui cives integro dehortatus libro Randersenses, à religione Lutheri suscipienda, quem ipsi paulo ignominiæ affixerunt, & M. Olaus Petri, nactus in Suecia illius apographum, conatur illud refutare. Sed Randersenses facti libello paulò magis obstinati, binas in urbe sua demoluntur Ecclesias, & fundos ipsis subiectos, Regis cum facultate, nosocomio attribuunt. Idem metuens Offo, Arhusiensium Episcopus, ne contingere excidium cœnobio Prædicatorum, illud pro se ac hæredibus, à Rege Friderico impetravit.

Rex Gustavus interim in Suecia suis expostulat literis cum Braschio, fugam ipsi exprobrans, & quod alia sibi Lincopiae foret pollicitus; nimirum quod fidelissimus regno permanensurum esset, ac in Gotlandia inquisitus documenta, quibus illam Sueones insulam ad se spectare deinceps probarent. Ac ne amplius ullam haberet querendi occasionem, transmissa illi fide publica, peremptoriè citat in Sueciam ante Pentecosten, in judicio hic comparitum; liberè contra adversarios processurum; jure fruiturum, & si causâ non caderet, citra periculum regno abiturum. Simil etiam Gedanenses hac super re faciens certiores, & patriâ illum non expulsum protestans, qui præscripto nisi compareret tempore, Lincopenis alium habitura esset sponsum Ecclesia, decreto haud obluctantem Arosensi. Has verò priusquam Johannes Braschius consequeretur literas, Regi prescrispsit iterum longè acerbius, ipsum ad deserendam Lutheri sententiam, non secus ac ignominiosam & perniciosa, exhortans; à qua persuasus, nullo diriperet jure bona Ecclesia, illique graviter exprobrans, quod nuper Lincopenes denuò expilasset thesauros, & se paratum contendens coram judice competenti respondere, atque si deliquit ipse, non lueret Ecclesia, ut propter maritum uxor non plecteretur; Quanquam se nullius obnoxium culpæ agnosceret, multò minus auctorem tumultus Dalecarlici; nihilominus tamen sibi innoxio imputati. Demum admonet Regem juramenti, quod in electione præstisset, cuius vigore ad defendendam Sueciæ Ecclesiam, non diripiendam, sub formidine damnationis æternæ, obligaretur.

Sed hujusmodi velut ex pelvi tonitruis, Rex Gustavus nequaquam perterritus, ad abolendam veterem omnino in Sueonia religionem, animum convertit. Quarè, ad Februarii Calendas, Oerebrogiæ primarium regni Clerum convocat, ubi in concilio provinciali, M. Laurentio Regis Cancellario præsidente, quælibet fermè Catholicorum dogmata sunt abrogata; et Evangelicorum subrogata, totoque postmodum regno sensim propagata, Catholicis nequicquam indignantibus, & aliquandiu obluctantibus. Vigore autem hujus statuti, ad quamlibet regni Ecclesiam cathedralem, Professor Theologiæ protinus destinatur Evangelicus, & qui Scaram fuerat ablegatus, dum Scholam ibi primum ingrederetur, S. Matthæi expositurus Evangelium, instinctu Episcopi, & Optimatum Veströgoticorum, difficulter inde vivus elabitur. Præfati namque domini, hujusmodi præscæ religionis offensi innovatione, in dogmatis extirpationem Lutherani, & Regis eliminationem, hoc tempore conjurarunt, Clerum regni universum, suis addictum partibus non ignorantes. Ac reliquis Sueonum defectionem simul a Gustavo persuasuri, sequentes contra ipsum promulgant articulos: Primus quod hæresin patriæ obtrusisset; II. suum prævaricatus foret juramentum, quod Ecclesiam, Clerumque, veteribus spoliavisset privilegiis, & dignitate: III. Episcopos suis expulisset diœcesibus in exilium: IV. quod templo cœnobiaque expilasset, cœnobitisque ejectis, solo illa æquasset: V. quod personis monasticis, voto ca-

stitatis Deo obstrictis, permisisset connubia, in præjudicium totius antiquitatis: VI. quòd corrupto missæ contextu, Suetice Regis mandato passim celebraretur: VII. numerum & usum Sacramentorum omnium, mutilavisset, ac depravavisset: VIII. quòd consuetam Sacerdotum inaugurationem; auricularem confessionem; chrismatis unctionem; & sanctorum abrogavisset invocationem: IX. quòd denique jejuniorum antiquavisset observationem. Ideò ipsum throno exturbanum, & dogma novum abolendum esse censuerunt.

In primis autem Thuro Joannis, reliquorum antesignanus, suis in Uplandia filiis hoc de negotio clàm perscripsit, hortans ipsos ad movendum Regi Gustavo his de causis bellum, populo Uplandiæ & Norlandiæ ad sua castra pertracto. Sed bini horum, Johannes & Laurentius, regni Senatores, magis Regem quàm parentem reveriti, occlusas tradunt illi litteras, obsecrantque, nè scelus sibi imputarent paternum, spondendo, se fidos Regi Gustavo ad mortem permanuros. Secùs verò M. Georgius Upsalenfium Præpositus, horum frater, persuasus, belli nervum corradit; militem conductit, & irruptionem subverens Regiorum, ad sylvas fecedit, ubi frustrà illum compellant Regis nuncii ad canendum receptui, qui magis hinc exacerbatus, Roslagiam cum suo pervagatur exercitu; incolas contra Regem Gustavum instigans; memoratos publicans articulos; & captos Lutheranæ fidei sectatores, vehementer excrucians. Hoc autem filii successu animatus Thuro, aliis invitat Dalecarlos literis, ad hanc pro Catholica religione militiam, & tertiis Smalandi ab illo provocati, bellum amplectuntur.

Nec tamen adhuc Evangelici rebelles subveriti Catholicos, XX. ante Pascha die, monachos permoverunt Arbogenses, ut projectis cuculis, cœnobio valedicerent, ac civibus Ecclesiam permitterent. Proinde hujusmodi rumoribus Smalandi magis inflammati, VI. secundum Paschæ sollennia die, arma corripiunt; quatuor Regis præfectos occidunt; & sororem ejusdem ex Germania reducem, illic capiunt, Jenecopæque custodiunt. Deinde post biduum frequentiores congressi, omnem Regi Gustavo, præfatas ob causas, renunciant obedientiam, & missis ad Ostrogothos literis, ad sua illos vexilla invitant, flamas cædesque iisdem minando, nisi intra sequens octiduum obtemperarent. Ac nè insperatis opprimerentur incursionibus hostium, sub nemus Holvegianum fortissimas collocarunt excubias. Quod ipsum Vestrogothi per sylvam fecerunt Thivegianam, & novas Uplandis scripserunt literas, quas callidissimus Regis explorator intercepit. Aliæ similiter omnes fermè rebellum Epistolæ, ad manus pervenerunt regias, quarum multas ipsi prodidit Nicolaus Arvidi, Consul Jenecopenfium, fautor Regis Gustavi occultus, ignoransque Thuro sua Gustavo prodita consilia, plebeculam Vestrogothiæ in planicie jubet comparere Larvensi, prope Calendas Maji, intereaque consensu reliquorum commilitonum, Magnum Bruntonis, virum corporis elegantiâ & sermonis eloquentiâ conspicuum, non magnopere obluctantem, designat regem.

Hinc non modicâ Rex Gustavus formidine perculsus, & subveritus, nè quandò Gothos invaderet rebelles, à tergo se Sueones impeterent, arte potius quàm marte, seditionis ad obedientiam statuit revocandos. Quarè hos in primis à rebellione aversurus, ipsem XX. Aprilis, eos, & quatri duo post Consiliarii, suis ad fidelitatem hortantur literis, ac nè perverso Gothorum exemplo se paterentur seduci, admonent, memorantes quantam patriæ calamitatem, tumultus identidem attulissent domestici, & omnem in religione innovationem, cum ipsorum esse consensu

fensi institutam, considerantes. Illis verò arma omnino erupturus Rex, Commissarios cum plena suo nomine litem transigendi potestate, ad eosdem alegat; qui rebelles non ausi convenire, nonnullos ex qualibet Ostrogothorum urbe cives, sibi vicarios substituunt. Qui velut amiciconfidentius profecti, XXIV. Aprilis, cum Jenecopenibus & Smalandis colloquuntur, ab hisque ad Vestrogothia Optimates dimissi, ipsos postridie in villa conveniunt Broddetorpensi. Hi tamen prius Vestrogothorum exploraturi animos, conditio post dies quinque loco comparent, cum Larvensem accedunt conventum. Et illic cognoscentes plebeculam Regis Gustavi partibus addictam, Broddetorpium redeunt, populo domum remisso, & his promittunt conditionibus novam Regi subjectionem: In primis, ut rebellionis promissa amnestia, Smalandis & Westrogothis hanc prorsus condonaret Rex factionem: Deinde, ut regia soror libertati restitueretur, ac despectus ipse irrogatus, non plecteretur: Denique, ut veteres & laudabiles Ecclesiæ consuetudines Suecanæ, & fides, servarentur inviolatae, hæresisque omnis abrogaretur. Cum his autem internunciis articulis ad Regem Gustavum reversi, illorum hujusmodi obtinent, III. Maji die, confirmationem, cuiusmodi in Vestrogothiam expedita, non placeret rebellium primipilis, idquè propterea, quod decretum vellet Rex Arosianum omnino illibatum.

Quocirca Magnus Vestrogothia præsul, & Thuro Joannis, huic prorsus diffidentes transactioni, cum suo raptim congesto in sinum thesauro, profugiunt in Daniam, ubi securam non illibenter sunt naucti mansionem, quod illorum, & fautorum in Sueonia remanentium subsidio Dani, non Vichiæ solùm, ast throno etiam Suetico, se restitutum iri confiderent. Illaque simul spe, Gustavum Trollium, ibi hactenùs contra fuentes foverunt Malmogenses, & trasonica illis verba Thuronis potissimum placuerunt, saepius gloriantis, quod tribus armatorum millibus, Regi Gustavo sceptrum posset extorquere, propter suppetias in patria, citra dubium, sibi ferendas. Qui præterea, sicariis & incendiariis in Vestrogothiam destinatis, clades regiis fautoribus crebro intulit, indeque Rex Gustavus lacessitus, Danum hortatur, ne hujusmodi foveret illic perduelles, in præjudicium pauci Malmogiani, & rogatus, ut patriæ, ac gratiæ eosdem restituere dignaretur, abnuit.

Regnum porro Sueciæ, non difficulter Rex Fridericus obtinuisse, si Catholicam non deseruisse fidem, cum incolæ, propter Lutheri dogma, Regem Gustavum præcipue detestarentur.

Sed Scarenium Antistes, Magnus, quamprimum Daniam attigit, protinus XVIII Maij, Halmstadio suam remisit in patriam excusationem, quâ simul protestaretur adversus statutum Arosiense, contendens Regem, contra divinum humanumque jus, & proprium juramentum, à se, ac reliquis Sueonum Episcopis, illius violenter extorsisse subscriptionem, modoque in libertate constitutus, provocans ad Romaní Pontificis & Imperatoris, immò Dei etiam tribunal æquissimum.

Georgius verò Upsalensium Præpositus, ignorans hoc cardine formem volvi paternam, cum suo interim pergit exercitu in Helsingiam, ubi prospero in primis marte usus, nimis posteà contrarium experiebatur. Siquidem à Noralensis parochiæ profligatus incolis, captivatusq; Stocholmiam perducitur, ubi postquam in alterum fuisset annum detentus, à Rege amitino, libertati, gratiæ, ac hæredio restituitur. Verum Magnus Bruntonis; Nicolaus Olai; atq; Thuro Erici; patriam exilio præferentes, nec suas Regi Gustavo proditas esse literas confidentes, non profugerunt, & culpâ rebellionis omni conjectâ in extores, missisq;

ad Regem literis, suam in Ordinum conventu probare innocentiam se paratos asseruerunt, & ad comitia Stregnesiæ, hunc propter tumultum, XVII. Junii inchoata, sub fide publica audacter discesserunt.

Illic in confessu Ordinum comparentes, suam justitiæ, non clementiæ, submiserunt causam, & propriis mox literis convicti, vitâ, bonisq; judicantur privandi; ac simul absentes, Magnus Episcopus, & Thuro Joannis. Ideoq; præsentes Stockholmiam perducti, Magnus Bruntonis, & Nicolaus Olai, gladio feriuntur, inque cœnobio sepeliuntur insulano; Atqui Thuro Erici, multo vitam auro redemerat. His prætereâ comitiis, Rex Gustavus probè animadvertisens, statuta Arofensiæ, tām crebris præbere tumultibus occasionem, illorum varias promulgat causas, in historia anni MDXXVII. productas, illisq; Senatus regni persuasus, novo eas roboret constitutiones diplomate. Deinde reliquis Ordinibus nihilominus flagitantibus, nē sibi doctrina Lutheri obtruderetur; sed regno proscriberetur, & vita non proculcaretur monastica, subdolè Rex consenserat, ita simplicem pro tempore mitigaturus plebeculam.

Profugorum verò animatus persuasione Rex Fridericus, expeditis in Sueciam, XVII. Junii, legatis, contumaciter à Rege Gustavo Vichiā reposcit, & simul L. millia florenorum, quæ vigore contractus Malmogensis ideo persolvere teneretur, quod MDXXV. sui tempestivè non comparuissent Lubecæ Commissarii. Sed cum Suecus, in Vichiæ negotio, se firmis excusaret rationibus, & demonstraret, statuti Malmogensis ipsos esse Danos prævaricatores, quod personato illi Nicolao suppetias ex Norvegia permisissent, & conjuratos foverent Sueonum hostes; Gustavum Trollium; Magnum; & Thuronem; cum sectatoribus. Ac demùm se ad bellum & pacem æquè paratum insinuaret, mitiores legati evaserunt, & cum hujusmodi responso, Daniam repperiverunt.

Interea Rex Fridericus, filium transmisit principem Christianum in Norvegiam, ut ab incolis, velut princeps regni hæreditarius, rex designaretur. Verum Olaus Nidrosiensium Præsul, Norvegiam probans esse regnum electitum, & quem Dania regem in primis acceptasset, Norvegos, si idoneus esset, non repudiatus affirmans, votis pro tempore principis non satisfacit, quem alias, ceu Lutheranæ studiosum religionis, Archiepiscopus non magnoperè dilexit; ut neque Regem Gustavum, propter eandem plerique Sueonum, qui horum subveritusque odium, Smalandis & Vestrogothis, poscentibus veniam rebellionis, jure pactorum, prudenter ac clementer iterum indulxit. Quam pariter impetrat gratiam, Axelius Posse, chrysendenton magni precii, & perelegantes aliquot equos, Regi donans. Quando Scarense simul præsbyterium, condonationem quoque naustum, regio impulsu, suum per literas objurgat Episcopum, quod Ecclesiam deseruisset; legitimo se principi opposuisset; & causam humani sanguinis effusi præbuisset; eaque propter, crimine perduellionis accusatum, & à Senatu regni, fuisse nuper Stregnesiæ condemnatum, exaggerat.

His porrò Magnus Helsingburgo respondens, XXI. Octobris, asserit se, propter impetrandum ex urbe confirmationem, & invalescensem in regno hæresin, veterum exemplo patrum, exilio patriam commutasse, nec Regis, vel aliorum hominum affectasse, sed Lutherani solum dogmatis extirpationem, se machinatum ex officio. Et cum eadem ipsis cura incumberet in sua absentia, viduam commendat illis Ecclesiam, monens, ut eum timerent, qui animæ, non qui corporis

ris duntaxat, potestatem haberet, & opem suo gregi propediem ferendam spondens, contemnensque sententiam Stregnensem, velut à legitimis haud prolatam arbitris, provocat ad sedem Apostolicam, & concilium orbis generale, modico post tempore inchoandum.

Ilo temporis intervallo, Rex Gustavus Lincopiæ constitutus, præbyterio nuperæ etiam seditionis suspecto, novâ fidelitatis acceptâ obligatione, condonat, quod propterea Regis instinctu, XXVIII. Augusti, multò acerbius suo perscrispit Antistiti, Braschio, ipsi fugam exprobrans, & vehementer accusans, propter discordiam, quæ Stenoni cum Archiepiscopo quondam intercessisset, atque rebellionem Dalecarlorum, Vestrogothorum, & Smalandorum, simulque invitans ad respondendum criminibus objectis, in foro Sueonum; si minùs, se omnem illi obedientiam renunciaturum. In aliis verò literis, cum Senatu Lincopenses expostulant Gedanensi, quod contra pristinam cum Sueonum gente amicitiam, seditionem ibi foveret Præfulem, sub fide publica, qui crebrò literis inde clanculum huc directis, perniciosos in regno moveret tumultus. Itaque Gedanenses, XXV. Octobris, se excusant, mandato Regis Polonici asseverantes, Episcopum illic securam obtinuisse mansionem, & obsecrantes, nè pervetus ideo cum ipsis amicitia interrumperetur.

Quo etiam die, Præfus suo pariter respondens presbyterio, affirmat, cum adeò impudenter illud mentiretur, illi Evangelium Lutheri, omnem penitus mentem, conscientiam, & verecundiam, ademisse; Quandoquidem ipsi, & toti foret exploratum patriæ, quantum ille laboravisset, ut Gubernatorem Archipræfuli reconciliaret. Quod verò ad præfatam attineret rebellionem plebeculæ; Siquidem propter fidei defensionem Catholicæ fuisset commota, illius auctorem potius laudandum, quam vituperandum esse. Causam verò suæ apud Gedanenses moræ, testatur invaletudinem esse, quâ curatâ, patriam repeteret, nisi bonis esset omnibus Ecclesia per Regem spoliata, & cum judices ibi competentes non agnosceret, ad curiam appellat Romanam, conciliumque universale; Paratus insuper suam Regi, & Ordinibus Poloniæ, causam submittere judicandam. Ideoque nullo presbyterium jure obedientiam sibi renunciasse, Deumque perfidiæ vindicem certò hujus futurum. Interea ipsemet etiam de Sueonibus vindictam sumpturus, binas in ipsos expedivit per Oceanum myoparones, quarum una capitul sub Gotlandia, & classiarii Lubecum perduerti, morte afficiebantur.

Lincopiâ porrò Vastenum Rex profectus, Martino urbis Consuli, rebellium Vestrogothorum complici, condonat scelus, M. denariorum marcis, & prædiis duobus ab illo acceptis. Nec ulli Sueonum Gothorumvè, Rex Gustavus citra multam ignovit, non modicas hinc cumulans divitias. Quibus mense Julio, calix accessit aureus, XIII. librarum & aliquot unciarum, ab Ingeburge quondam, pro mariti Ducis Erici anima, Ecclesiæ donatus Upsalensi, ac modò per Regem inde ablatus, inque Reipublicæ emolumentum fortè translatus. Quando autem Rex Gustavus fuit Vasteni constitutus, nosocomio donavit, Vastenensium bona quælibet, fundos & agros, monasterii apud Scheningenses Dominicani. Et Jenecopiam inde progressus, Matthiæ, Franciscanorum ibi Quardiano, cœnobii bona permisit, veniamque impertivit stipem corrogandi vicatim; illâ tamen conditione, ut puram Evangelicorum doctrinam in nosocomio prædicaret Jenecopenfi.

Verum monasteria proventibus gaudentia, suis assignavit vasallis, census inde præscriptos soluturis, & anachoretas residuos sustentaturis.

Hâc itaque lege , consequitur Alvaftrense Nicolaus Svenonis cœnobium ; Juletense , Olaus Arvidi ; Nydalense , Trulsius scriba . Porro , Abbas Varnhemensium , suos ipfemet redditus cupiens levare , Regi quotannis centum marcas tremissium , & LXXII. butyri libras , fuerat pensurus . Antistita verò Gudhemensis , tantundem butyri . Scheningensis ; & Risebergensis ; totidem marcas denariorum , numeraturæ . Vretensis , CCC. per annum dabat ex suo , & Aschebycensi , monasteriis . Plures multò Vastenensis ; & minus Varfrubergensis .

Suos quoque Episcopi proventus , annuâ redemerunt aliquandiu pensione . Siquidem Lincopensis , III. marcarum millia Danicarum , & CXLIV. butyri libras ; Scarensis , MC marcas Danicas , Regi quotannis erant daturi . Sed hujus per diœcesin Clerus , M. marcas , & CC. tauros . Aboensis , DCC. marcas tremissium , & CCLXXXVIII. libras butyri . Nec reliqui Sueonum Præfules ab hujusmodi fuere censibus immunes , donec illorum , cœnobiorumque prædia , regni fisco penitus subderentur .

In Septembri autem mense , alegatus fuit à Rege Friderico in Sueciam , M. Jesperus Brochmannus , Secretarius , ut Vichiam denuò reposceret , & ipsâ obtentâ , remitteret regi Gustavo , illa L. aureorum millia , qui jussus Regem & Senatum , XI. Octobris , Arbogiae convenire , illic comparet . Et non satis benignum nactus responsum , aliam proponit commissionem , flagitans , ut colloquium inter Scondianorum Proceres , hac super controversia , reliquisque , Varbergi XXIX Julii haberetur , & XVIII. Octobris , Rex Gustavus petitioni adstipulatur . Cæterum huic pernecessaria conventui monumenta , suborto in arce Stocholmensium incendio , nunc plurima conflagrarent ; novâ etiam morborum flammâ , totum Sueciæ regnum modò cœperat aduri , nimirum lue illâ pestiferâ , sudore Anglo nuncupatâ , quâ Scondianorum permulti perierunt , Deo nova sclera , novo genere pœnarum mulctante .

Jam denique Legatus in Daniam reversus , acerrimas regis Gustavi querelas , de refugio exilibus illic permisso , manifestat regi Friderico . Proindeque Trollius , Magnus & Thuro , jussi ex Dania migrare , postulato , & non impetrato , Lubecæ seculo morandi hospitio , ad principem se contulerunt Megapolensem ; Quem ex profapia Regum Suetorum genus ducentem , ad sceptrum Regi Gustavo extorquendum , prout olim Magno fecisset Albertus , libenter impulissent . Quorum voto ille , aut Danus , obtemperassent , nisi Christiernum , auxilio Imperatoris ad thronos Scondiæ aspirantem , formidassent . Quâ simul formidine Rex Gustavus , à Gotlandiæ terrebatur recuperatione , Daniæque & Norvegiæ impugnatione .

Anno MDXXX . Senatus indulxit Lubecensis , IX. Januarii , concionatoribus Evangelicis , ut sua in binis haberent illic Ecclesiis exercitia religioniis . In Dania etiam Franciscani Hafnienses , prohibiti victimum amplius polscere hostiatim , qui ab incolis Lutherò jam addictis , nec illis porrigeretur ; & rerum ideo compulsi penuriâ , XXV. Aprilis , suum tradunt Senatui monasterium , cum omni aurea & argentea templi supellecstile , quod Lutheranus cessit deinceps concionatoribus . Hac quoque de causa , & propter maiorem vivendi licentiam , sua deseruerunt claustra , Monachi Horsenses ; Faborgenses ; Assenses ; & Lanscronenses ; illorumque diversoria , fundi , & supellex , præfatis à Rege donantur civitatibus .

Hujusmodi porro fidei Lutheranæ incrementis , Præfus Roschildensis , ut in sua poneret diœcesi obstaculum efficacius , denuò poscit confirmationem , & inaugurationem , à M. Georgio Scorborgio , & passus iterum repulsam , nè omnino muneri diutiüs suo decesset , quandam vagabundum Gronlandiæ

Iandiæ Episcopum, Vincentium, quo Upsalensis & Abogensis usi fuisse  
haecenius Antistites in Suecia, tribus ante Pentecosten septimanis,  
obtinuit Chorépiscopum. Atque hinc intelligens Rex Fridericus, &  
regni Senatus, Præfulem diffidere politicæ confirmationi, ac Roma-  
nam pertimescere indignationem, XXIV Junii, & XXII Julii, novis  
ipsum animant literis, spondendo, neminem illi Episcopam, vel redi-  
tus erupturum, opemque promittendo fidelissimam, & protestando, se,  
juxta vigorem decreti Ottoniensis, non amplius jugum admissuros Ro-  
manum. Presbyterium quoque Roschildense, suo pollicetur Antistiti  
subsidiū; salvâ tamen autoritate summi Pontificis.

Verùm his non acquiescens Joachimus Ronnovius, ac reliqui Præ-  
fules regni, veterisque fautores religionis, quod permisso Regis, in  
patria, & Ducatu, nimios caperet progressus dogma Lutheri, & pri-  
stina interiret passim doctrina, cœnobiaque desolarentur, Regem Fri-  
dericum serio admonent jurisjurandi in coronatione præstati, quo san-  
ctè fuisset pollicitus, se Catholicæ defensorem Ecclesiæ, non osorem fu-  
turum. Is proinde respondens, illam se intellexisse Ecclesiam, quæ  
firmioribus verbi divini testimoniis, ceu fundamento niteretur tutissi-  
mo; & Evangelicos palinam in hoc pœlio adversariis certò præreptu-  
ros confidens, disputationem isto super negotio Præsulibus obtulit.  
Quam ipsi lubenter admittentes, spondent ad partes se antagonistarum  
concessuros, si validioribus illi suam probarent causam, rationum mo-  
mentis, ex sacro potissimum codice, juxta sententiam Sanctorum Pa-  
trum intellecto, productis, missoque protinus Coloniam nuncio, do-  
ctissimos inde viros, quos inter primarius fuit disertissimus ille Ste-  
gephyrius, in Daniam advocant. Quibus indigenas adjungunt, erudi-  
tione illustriores; Paulum Eliæ; Christiernum Mus; Georgium Samp-  
sing; Johannem Fionium; & Afferum Lundensem.

De hujusmodi etiam Lutherani conflictu tempestivè admoniti, i-  
psum non recusant, armaque comparant, & partes Hafniam vocatæ,  
VIII. Septembris, illic comparent. Inprimis verò Catholici XXVII. pa-  
radoxa proponunt, à Lutheranis passim ex suggesto promulgata. Qui-  
bus respondit vicissim scripto, M. Johannes Tausonius, Evangelicorum  
principilus. Ab hac demum velitatione, in arenam descensuris, subori-  
tur controversia, de supremo litis judice, & quo sermone, vernaculo  
an latino, esset disceptandum? Cùm verò Catholici, Romanum Ar-  
chiflaminem, aut generale concilium, agnoscerent duntaxat arbitrum;  
latineque contenderent disputandum. Ast Evangelici, Sacram Scri-  
pturam, Regem, & reliquos auditorum, adhibendos censerent judices,  
Daniceque digladiandum ideò cuperent, ut adversarii subsidio defrau-  
darentur advenarum, conflictus intermititur; utrisque sua permitti-  
tur religio, donec in universali orbis concilio, ad quod appellaverunt  
Catholici, veritas demonstraretur. Sed Lutherani, XII. Regi Frideri-  
co articulis oblati, desidiæ ac invidiæ accusant Catholicos, quod suo  
minùs satisfacerent officio, & diligentiores nollent admittere vicarios.

His autem, aliisque Lutheranorum objectionibus, publicato dein-  
ceps libro Antistites, per Paulum Eliæ, admodum copiose responderunt,  
simul protestantes, quod nuper sibi fuisset disputandum in acropoli, lo-  
co minus seculo, coram Rege Senatuque, parti adversæ plus æquo ad-  
dictis, & rudi plebecula; sicut etiam inter cohortes armatas. Ronno-  
vius præterea, Catholicum præsentat Regi Friderico modum, quo  
suum decrevisset reformare diœcesin, & quando responsum frustrè præ-  
stolatur, adfertur confessio Evangelicorum, Imperatori, Augustæ Vin-

delicorum porrecta ; juxta cuius formam , fidei postmodum reformatio sensim in Dania fabricatur. Mox vero M. Johannes Tausonius , sibi vendicat potestatem , per dicecesin ordinandi Roschildensem , sacerdotes ; indeque Ronnövius vehementer exacerbatus , cum unus concionatorum hujusmodi , ad ipsum quadam vice accessisset , & interrogatus ab illo , de sua initiatione , respondisset , se à Johanne Tausonio , ad ministerium esse vocatum , consecratumque ; ipsum verberibus contusum , & gelida perfusum , detrusit in carcerem . Nec multo post tempore , alter ejusdem professionis minister , ab eodem non minus disputando exagitatus , provocat ad concilium , quem interrogat Episcopus , quis in illo futurus esset arbiter , morione Hassiae , inquit , an scurra Holsatiæ ? Lantgravium , & Christianum , intelligens ? Simili etiam contemptu , reliqui Danorum præsules , frequenter sunt principibus oblocuti Lutheranis , & illorum fautoribus , qui multam præbuit causam infortunio , quod ipsis post sexennium contigerat .

Verum Rex Gustavus , de nominibus adhuc residuis , Senatui Lubecensium solvendis , admodum sollicitus , habitâ cum regni Consilia- riis , Upsaliæ hoc super negotio , maturâ deliberatione , illorum denique consensu , XX Maji , illorum solutioni debitorum , maximam in regni ci- vitatibus campanarum deputavit . Plebeculam vero propterea tumultuantem , & magnoperè admirantem , quò devenirent tot factæ hactenùs contributiones , totque divitiarum ex regni Ecclesiis cumulationes ! Quandoquidem Lubecensibus inde non esset satisfactum ? Petrus Arosiensium Præsul , & Decanus Upsalensis , ipsos placaturi , literis per suas dice- ses promulgatis , Regem excusare conantur . Qui tamen ipsos ideo gra- viter objurgavit , afferens se rationem populo acceptorum , & expenso- rum , reddere non obligatum , illosque non sibi fidos existimans , Pe- tro assignat inspectorem eum Nicolaum , qui nuper ex monacho , Aro- siæ Decanus evasisset . Atque fidelem sibi ad cathedram promoturus Up- salensem , Episcopo adhuc destitutam , in præfato Upsaliæ conventu , Martino Abogenium præsuli , illam contulit , quam ipse recusavit . Sed Lincoponsem , D. Johannes Præpositus ; Scarensem , M. Sveno Lector ; & Wexionensem , Jonas Canonicus , non recusarunt . Indignatus etiam Rex Scarensum Dominicanis , quòd proscriptum fovissent clàm Tor- chillum monachum , delatori mandat M. Svenoni Episcopo , ut cœnobio desolato , monachos destinaret Sigtoniam . Quorum unum , Johannem Nicolai , Lutherano faventem dogmati , parochum Stocholmensibus con- stituit . Quod subverens infortunium , Antistita Nodendalensis , suo inferendum similiter monasterio , insigni Regem donat chrysandeto , & tan- tum de prædiis recuperat ablatis , quantum sustentationi seniorum , in utroque sufficeret conventu .

Atqui Franciscanorum Enecopiæ domicilium , à profugis desertum monachis , diversorum Rex assignat leprosis ; ubi deinceps tamen nitra- ria fuit instituta officina , terraque Ecclesiæ & cœmiterii effossa , in pulve- rem conversa fuit tormentarium . Clerus denique Stregensis Episcopæ , ut liberaretur à statione militari nimium onerosa , Regi quotannis CD. marcas tremissium lubens numeravit .

Jam colloquium instabat Varbergense , quò , exeunte Julio , Pro- cœs Scondiæ advenientes , decernunt , quòd Vichiæ Sueones adhuc per annum effent fruituri , & posteà Norvegiæ illam resignaturi , nec illa L. millia aureorum Danis soluturi .

Rostochii vero commorans hoc tempore supposititus ille Nicolaus Sture , & cum aliis Sueonum exilibus Regi Gustavo infidians , ibique à

regio deprehensus Secretario, Wolfgango, in judicium pertrahitur; criminiis in patriam commissi, accusatur; nec tamen ideo, sed furti cuiusdam olim perpetrati convictus, illic decollatur. Ast Sueonum reliqui, in Megapolensi diversantes ditione, & præsertim Trollius; Magnus; & Thuro; inaudientesque Christierno, copias auxiliares à Cæfare, aliquæ imperii principibus, in rebelles promissas Scondios, ad ipsum festinant in Belgium, & jurant fidelitatem. Quocirca illius mandato, variis in Scondiam literis, mense Decembri, expeditis, quosdam Sueonum, Danorum & Noricorum, ad Christierni militiam conantur pertrahere; subsidium illi promissum exaggerantes; pietatem & probitatem illius summoperè collaudantes, hortantesque, ut ipsum suscipierent adventantem, ac suam manifestarent Gustavo Archiepiscopo voluntatem, Sternbergæ in Megapolia responsum expectanti.

Anno MDXXXI. Illud æquo diutiùs prorogari considerans, XXV. Januarii, novis Sternbergâ literis, eodem super negotio, agnatos in Dania, cognatos, affines & amicos, compellavit. Atqui Christiernus, relatione cognoscens demum Archipræfus, nihil prorsus inde subsidii expectandum, operâ Caroli Cæsarlis, impetravit Hamburgi colloquium, circa veris initium inter suos, & regis Friderici Commissarios. In quo, cum votis suis neque responderetur, bello Scondios impetere decrevit. Gustavus autem Sueciæ Rex, hujus ignarus molitionis, se turbis implicuit domesticis.

Siquidem prætendens, ære campano prioris anni, Lubecensibus nec dum esse satisfactum, celebratis, VI. Januarii, Oerebrogia comitiis, ex qualibet rurali per regnum Ecclesia, campanam, maximæ proximam, ab Ordinibus flagitat, difficulter assentientibus. Quo etiam impetravit conventu, à Rege Antistita Wretensis, ut ipsamer imposterum provenitibus frueretur cœnobii consuetis, illi, LX. marcas tremissium, quotannis pensura. Illicque simul, XXVII. Januarii, fuerat conclusum, ut Franciscanorum Stocholmiæ claustrum, commutaretur in nosocomium; ubi nichilominis moniales commoraturæ forent Clarenses, quoad viverent.

Post abitum verò Statuum, regii quaquaversum in regno discurrunt officiales, campanas extorquent; quarum loco, verbera passim obtinent, & potissimum apud Dalecarlos. His etenim querentibus de campanarum hujusmodi spoliatione ac profanatione, illud suaferat Magnus Nicolai, aliquæ metallicorum viri primarii, qui literis dubio procul extorrium, de Christierni adventu facti certiores, Regem Gustavum non magnoperè formidandum censuerunt. Immò tantum animi hinc Dalecarlis acrevit, ut nonnulli horum, perlatas Arosiam suas campanas, illas Rege inspectante reveherent, & ipsum scommatibus impeterent, temporis servientem, ac furentibus modo conniventem, propter Christierni machinationes, fibi nuper manifestatas.

Audaciâ porrò Dalecarlorum nonnulli Sueonum alii provocati, suas quoque violenter repetunt referuntque campanas, & huic tempestivè periculo Rex Gustavus obviam iturus, blandissimis rebelles compellat literis, ac XII. illorum de quovis invitat territorio Arosiam. Sed ibi comparentes, XXV. Martii, cum ipso, de hujusmodi graviter expostulant sacrilegiis; innovatione religionis; & missæ vulgaris celebratione; atque inde domum remeant cum indignatione, quos à rebellione dehortantur Helsingi, his postquam Rex, quod campanas promptius tradidissent, CCC. de annuis censibus marcas relaxasset.

Nec minas Helsingorum Dalecarli formidantes, sparsis per regnum literis, XII. jubent viros de qualibet provincia, secum Arbogia Calendis

Majis comparere, ibi de Rege Gustavo unā consultaturos deponendo, & Christierno fortassis subrogando. Hunc itaque timens merito Rex conventum, & ab illo plebeculam avocare cupiens, ipsam cum reliquis Ordinibus convocat Upsaliam, illic, XVIII. Maji confluentem. Quò etiam Rex Gustavus grandi stipatus exercitu, panopliaque indutus prærutilâ, proficiscitur, & cum frequentissima populi multitudine colloquitur, causas illi proponens, quas propter, campanis indigeret; ac nihilominus contumacem deprehendens plebeculam, ipsi cædem minatur, à qua, procumbens in genua, veniamque petens, & spondens obedientiam, Procerum intercessione, liberatur.

Itaque promissis Sueones confidens Rex adhæsiros, ad quaslibet indè provincias, sua trānsmisit diplomata, quibus incolas fidelitatis admonuit, & necessitatis, in qua versaretur Respublica, propter nomina Lubecensibus adhuc solvenda, obsecransque ut idcirco benevolè campanas permitterent, ac demonstrans illis, profugorum Sueonum literas, ad Danos perscriptas, quas sibi destinasset rex Fridericus, & hortans, nè rebellibus adhærerent, qui ab exilibus seducti, Christiernum tyrannum in patriam reducere machinarentur.

Interea Dalecarli, frequentes & frementes Arbogiæ congregantur, ab armis haud imparati, cùmque reliquos Sueonum frustrâ illic præstolati essent aliquandiu, domum turmatim relabuntur. Quos intelligens Rex Gustavus, arma his deponere conditionibus paratos, si non pluribus, quam ipsi præscriberent, se limites eorum præmitteret transiitrum, & conterraneum illis assignaret præfectum. Illâ denegatâ, hanc iis confirmavit, vindictamque in tertium prorogavit annum.

Hactenùs autem Regi Gustavo fuit à secretis, M. Henricus Sleidorm, & ipsius quoque adolescentis, in artibus liberalibus præceptor, cui nunc laboribus defatigato, M. Olaum Petri, alterâ post Pentecosten septimanâ, subrogat, ac emerito confert Henrico, Canonicum Upsaliæ & Stregnesiae beneficium; indè tamen, velut alii Regis beneficiarii Ecclesiastici, vigore decreti Arofensis, census annuatim daturo. Beneficium quoque Rex Gustavus se præbuit Ingeburgi, suæ amitæ, & Thuronis profugi legitimæ conjugi, quod ipsam post mariti fugam in vinculis detentam, modò libertate donasset, inque Scogensium cœnobio virginum, degere permisisset.

Benevolum similiter animum exhibuit Johanni, Eschilstunensium Priori monachorum, ipsum Luthero suffragantem, Vingacherensibus constituens parochum. Hujusmodi proinde apostasiis, & Evangelicorum successibus, plebecula plurimum offensa, suos ad scholas mittere filios recusavit, ut neque scholaribus consuetas largiri voluit aliquandiu sportulas, afferens, hæretico illos dogmate in ludis imbui literariis, gymnasiaque, non virtutum esse amplius seminaria, sed vitiorum plantaria, contendens. Verùm his populi voculis, Rex Gustavus nihil motus, aliis Sueonum tumultibus jam sedatis, nuptiarum molitur celebrationem, illaque cum requereret Archipræsulis officium, convocato regni Clero, ad XXIV. Junii diem, Stocholiniæ, mandat Primatem eligere. Quocirca, IV. nominatis candidatis, nimirum, M. Magno, Stregnenium Episcopo; M. Laurentio Andreæ; Doctore Johanne, Upsalensium Decano; & M. Laurentio, ibidem ludimagistro, vota feruntur, colliguntur, pluraque ideo nactus competitor ultimus, quod electores Lutherani effent plures quam Catholici, ac ejusdem ipsem̄ professionis foret, Archisuperintendens salutatur.

Ità electum consequitur Ecclesia Upsalensis Archisuperintenden-  
tem. Nominatos quoque habuit Superintendentes, Lincensis, Scaren-  
sis, at-

atque Wexionensis, non inauguratos. Quos propterea, velut solennitati regiarum etiam necessarios nuptiarum, jubet Rex Gustavus, XII. Augusti, suscipere consecrationem, non Archielectum. Tempore autem nuptiis condicto jam appropinquante, ornatissimam Rex classem destinat Lubecum, quò sponsa prælustris Catharina, serenissimi Lunenburgensium principis filia, splendido perducta comitatu, longè splendidiori Stocholmiam indè per Oceanum transportatur.

Biduum porrò ante nuptiarum follennia, M. Laurentius in cœnobio ordinatus suburbano, circa festum D. Michaelis Archangeli, regio impertit connubio follenniter benedictionem, quam conviviorum & spectaculorum insignium comitur festivitas. Novæ demum nuptæ, pro bonis cesserunt vitalitiis, fortissimæ regni munitiones, Calmarnia & Borholmium, cum subjectis ditionibus. Nec Archimystam Rex novum dimisit indonatum; illi siquidem insignes deputaverit proventus, & L. armatos corporis stipatores, potentiam insolentiamque Canonicorum Upfalenium repressuros. Quos, debellatis adversariis, M. Laurentius exau-toravit, & loco illorum deinceps totidem bona spei scholares sustentavit, quorum operâ postmodum usus in propagatione religionis. Sed primarios in hoc negotio habuit M. Laurentius collegas; M. Olaum, fratrem; M. Bothvidum; Gunnarum, Canonicos Lincopenenses; M. Michaëlem Agricolam; M. Canutum, Abogenses; & M. Petrum Löftadium. Tandem Rex Gustavus visâ singulari Archipræsulis solertiâ, ut ipsum non peculiari solum amicitia, ast etiam quadam sibi affinitate arctius de-vinciret, cognatam illi suam despousavit, ex quo Laurentius suscep-tas conjugio filias, suis in cathedra successoribus, M. Laurentio Go tho, & M. Abrahamo, dederat uxores.

Quando his Rex Gustavus invigilat, Christiernus in ipsum, & Regem Fridericum, sedulò bellum apparat, cognoscensque Norvegiæ Præ-sules ac plebeculam sibi addictos, illuc Trollium alegat, qui per in-via sylvarum, non citra maximum vitæ periculum, XVI. Julii, ad Epi-scopum in primis Hammarensem pervenit. Ab illo autem perbenigne suscep-tus, Christiernum magnoperè deprædicat; ipsius constantiam in re-ligione Catholica, falso collaudat; & quod in alium longè principem, justitiæ clementiæque amantissimum, jam esset transmutatus, commemo-rat. Ideoque tantâ Christierni conversione, Cæsarem, & alios Imperii Prin-cipes commotos, Scondiæ ipsum thronis restituere decrevisse, seque, ut Norvegos hac de re commonefaceret, & subsidia Regi suo posceret, ad-venisse asseverat.

His persuasus sermonibus Antistes, suo, & reliquorum nomine Præsu-lum, in comitiis pro tempore Hafniensibus morantium, Christierno pollicetur sub-sidium, ab Ecclesiis regni colligendum, & deinceps illi transmit-tendum, hoc super promisso scribens ad Regem literas, XX. Julii; quibus simul Gustavum Trollium, ob navatam fideliter huic negotio diligentiam, illi plurimum commendat. Sed legatus, cognito aliorum reditu Antisti-tum, Hammariâ festinat occultus Nidrosiam, ubi cum Archiepiscopo & Epi-scopis regni congressus, sub sponsione solutionis, plurima Ecclesiarum cime lia, & non paucas à præsulibus naves, armis, commeatu militeque instru-ctissimas, impetrat, ac Christierno quantocyùs in Brabantiam destinat. Qui-bus ille suppetiis confortatus, mediocrem quoque belli nervum ab Im-peratore, & quibusdam Hollandiæ civitatibus, obtinet, classemque XXX. navium, ac X. millia classiariorum.

De hoc autem bellico hostium apparatu, Danus certior factus, illum Sueco, & Vandalicis insinuat urbibus, ab ipsis ceu fœde-ratis

ratis, opem implorans, contra hostem communem. Itaque Rex Gustavus, Venere paulisper intermissa, Martis repetit familiaritatem, & arma citus expedit. Lubecenses quoque, accepto à Danis promisso, de excludendis ex mari Baltico Hollandis, propter lata Christierno subsidia, copias destinant Hafniam auxiliares. Nec adversarios tamen Christiernus formidans, XXVI. Octobris, cum suo ex Hollandia velificat exercitu Norvegiam versus, quam, amissis in Oceano X. naviis, V. Novembbris attigit, & post quatriduum, publicatis per regnum literis, suum incolis significat adventum, gratiam sibi obtemperantibus; ast indignationem recusantibus, annuncians, ipsosque ad comitia, XXIX. Novembbris, Aslogiæ celebranda, convocans, & tributa regi Friderico pendere illis omnino denegans.

Quo simul die rex Christiernus, Gustavum Trollium Nidrosiæ hactenus delitescentem, Olaumque regni Primate, advocat, & Trollius cum non modico Aslogiæ comparens novo subsidio, indè protinus Dalecarlis & Nylosensibus, hortatu Regis perscripsit, adventum denuncians ipsius, atque hos instigans ad prodendam regi Christierno munitionem; & illos provocans ad rebellandum regi Gustavo, velut religionis, Ecclesiasticæque libertatis, oppressori ac transgressor. Intelligens deinde Tyrannus, cives quoque Vandalicos sibi infestos, XV. Novembbris, suum ipsis manifestat successum, & obsecrat, nè Danis ferant auxilium, ità consuetis in Scondia fruituros privilegiis.

Interea confluxerant Ordines Aslogiæ, qui regi, XXIX. Novembbris, novam spondent obedientiam, & regi Friderico eandem renunciant, literis simul Danos hortando, ad recipiendum pariter regem Christiernum. Postridie autem Johannem Christierni filium, parenti successorem in throno Norvegiæ declarant, & contributionem, pro solutione peregrini militis, approbant, arciumque expugnationem, Danis indè profligatis. Quamobrem Achershūsum & Bohusum, potissimæ regni munitiones, protinus impugnantur, Vichiaque recuperatur, occupato, ac inflammato Olufburgo, & præfidiariis Nylosiam profugientibus, quorum capitaneus, Achatius Claudi, occubuit.

Ecclesiastici quoque in Dania, ruptis induciis, canunt denuò classicum; quandoquidem Docto<sup>r</sup> Paulus Eliæ, Catholicorum polemarcha, indigno ferens animo, tantis missam impeti calumniis à Lutheranis, illius promulgaverit apologiam Hafnienibus dedicatam, quam suo protinus antigrammate, M. Johannes Thausonius, vehementer impugnavit. Hinc etiam plebecula velut æstro percita, ut suum aliquo testaretur facinore odium in missam instigatore & ductore Ambrofio bibliopego, Consule Hafniensium, XXVII. Decembris, ornatissimum Deiparæ templum invadit; imagines dejicit; confringit; omnemque diripit ornatum altarium; & nisi prætor urbis summa fuisse aram tutatus, ipsi pariter violentas intulisset manus. Quo graviter offensus tumultu Rex Fridericus, basilicam mandat occludi, & quod operâ Joachimi Præfusilis fuerit anno Catholicis sequenti referata, tulit admodum moleste. Sed isto numeravit anno Episcopus Regi, III, quæ restabant, aureorum millia, pro collatione & confirmatione diœcœsos. Cœnobium denique Prædicatorum Vedelense; Franciscanorum Kœgense, civibus à Rege Friderico donantur; & Arhusiense virginum, regiā cessit munificentia Offoni, Episcopo civitatis Catholico.

Anno MDXXXII. Invictissimus Imperator Carolus, nuper a sororio rege Christierno, ex Hollandia in Norvegiam proficidente, plurimum rogatus, ut fœdus conaretur dirimere, quod Vandalici cum rege Friderico mercatores pepigissent; cives illos hac super re compellavit, & aliud non

non impetravit responsum, quam Dano ac Sueco inconsulis, non possē  
ipsoſ cum fautoribus regis Christierni aliquam statuere transactionem.

Atqui propter præſens belli incendium, Rex Fridericus Vandalico  
non contentus fœdere, Smalcaldicum etiam, ad quod priori fuerat anno  
invitatus, iſto acceptat, illi ſubſcribens Lubecæ, XX. Januarii. Postea  
opem à fœderatis implorat, & quidem expedito ad Regem Gustavum  
Claudio Bilde, flagitat Vichiæ reſtitutionem, & paeti Ludosiæ ſubſidii  
transmiſſionem. Itaque Suecus hoſtem ſuis infenſum quoque limitibus, re-  
pulſurus, & ſocio fœderis opitulaturus, CC. equites & DC. pedites, du-  
ctoribus, Laurentio Siggonis Marschalco, atque Severino Kyll, Ludo-  
ſiam quantocyūs ablegat. Ipſem etiam Rex Fridericus, domeſticas  
interim cogit copias, quarum turmas aliquot destinat auctum Bohu-  
ſenſibus & Achershufenſibus ſubſidio, reliquas ad veris primordia ju-  
bens eſſe paratas,

Itaque Sueci & Dani, conjuṇctis armis, regem Christiernum ſub  
Bohusio invadere decreverunt, quos ille conſpicatus adventantes, fer-  
tur dixiſſe Thuroni Johannis: *Tua ſeductus perſuafione, tam inſignes  
non arbitrabar in Sueonia eſſe cohorteſ, & ſecūs nunc experturus ſum, meo  
fortaffis ſummo cum detrimento; ſed neque tu impumè latus fallaciam.* Ideo-  
que post triduum, Thuro manè in plateis fuit inventus Kun-  
gellenſibus, capite truncatus. Deinde hoſtem Tyrannus fraude ſu-  
peraturus, trans fluvium male congelatum, illique minus exploratum,  
ſe ad pugnam simulat paratum, & Sueones in iſum festinantes, illo-  
rum non pauci torrente ſubmerguntur interlabente, ac ſuperiſties ho-  
ſtum tormentis impetiti, ſternuntur. Major tamen pars noſtratiuum,  
incolumis Ludosiam remeavit, à quibus flagitans rex Christiernus, ſe-  
curum in Hallandiam & Sconiam illac transiſtum cum ſuo exercitu, Sue-  
cis nequaquam nocituro, non impetravit.

Quamobrem peſte fameque preſſus, copias Aslogiam reduxit, &  
Rex Fridericus, longe acrius impugnari modò ab illis Achershufenſium  
intelligens, in Martio auxiliares destinat ſuis præſidiariis cohorteſ, no-  
vumque poſtulat ſubſidium à Rege Gustavo, promptè mox ex Suecia,  
cum Carolo Erici viro bellaci, transmiſſum in Norvegiā, meneſque  
Aprilī celebraſ Hafniæ Danus comitia, ubi generalis decretā fuit expe-  
ditio in Norvegiā cum exercitu. Is proindè conjuṇctus auxiliari, à  
Vandalicis negotiatoribus Hafniām transmiſſo, XVIII. ante Pentecosten  
die, in Norvegiā properat, illiusque Aslogiam territus appulſu rex  
Christiernus, caſtri deserit obſidionem, & in civitate firmat ſta-  
tioñem, à XII. Maji, fraudulentis detinens hoſtem colloquiis, usque Ca-  
lendas Julias, ac interim fruſtra circumſpiciens elabendi oportunita-  
tem, quòd omnia eſſent illius navigia per Danos expugnata, & Haf-  
niām destinata.

Post abitu mero utriusque exercitus, Lubecenſium Comiſſa-  
rii Hafniæ remanentes, initio Maji, quandam cum Danis formam  
conciinnant fœderis adverſum Hollandos, propter lata regi Christierno  
ſubſidia, inter Regem Fridericum, & mercatores Vandaliorum, poſteā  
inſtituendi. Quæ licet deliberationi ſolum destinata, nec unquam legi-  
timè fuerit ratificata; tamen cum peculiaria quædam contineret pri-  
legia negotiandi, & per Cymbricum navigandi fretum, occidentalibus  
illlic mercatoribus exclusis, civibus impertienda Vandalicis, permagno  
deinceps tumultui præbuit occaſionem. Cæſar autem, & ſoror Maria,  
Belgarum Gubernatrix, Ordinesque hâc protinus intellectâ conſpira-  
tione, miſſis in Daniam legatis, mense Junio, ſe excuſarunt, & colloquium

hac de re cum Danis, Suecis, ac Vandalorum institoribus, impetrarunt.

Haec tenus Claudio Bilde, Castellanus Bohusensis, apud Regem Sueciæ constitutus, XX Maii, restitutionem Vichiæ illâ obtinet conditione, quod Rex Fridericus, XIX. proximo Januarii die, Lubecæ Regi Gustavo non modicam auri summam esset numeraturus. Sed cum per hujus reliquum mensis, Juniumque, Dani & Vandali, cum rege Christierno, sub Aslogia nequicquam de concordia deliberassent, ac ipsum difficulter inde profligandum animadverterent, nisi alius ex Suecia per invia sylvarum alpiumque adveniens claram exercitus, hostem à tergo invaderet, hujusmodi copias à Sueonibus poscunt, citra moram protinus illuc transmissas.

Quando Rex Fridericus, publicatis in Norvegia suis diplomatibus, veniam rebellionis offert incolis, regem Christiernum tempestive defensentibus, ac novam sibi spondentibus obedientiam, neque pauci obtemperant admonitioni. Nec multo post tempore, intelligens suos ibi duces exercitus, arte, non marte, cum rege Christierno, Norvegiæ, vel aliquam Daniæ provinciam flagitante, decertare, XIII. Junii, per literas nunciosque, prohibet illis contractum hujusmodi cum ipso inire, & jubet hostem duntaxat ferire. Sed ante horum illuc adventum, rex Christiernus rebus suis diffissus, & fuationibus confisus adversariorum, Calendis Julii, hâc se conditione illorum submisit voluntati ac potestati, juramentis, literis, & sigillis, Danorum Vandalicorumque civium, firmissimè roborata: Nimirum, quod sibi, sectatoribus, fautoribus, & opitulatoribus, esset condonandum universis; quidquid hoc gestum bello adversus Regem Fridericum, nec quidem in memoriam revocandum, multò minus vindicandum. Deinde, quod exercitus suus, securum habiturus esset transitum per Daniam, in Germaniam. Demum, quod pariter cum CC. servitoribus liberè Regem Fridericum aditurus, & abiturus; suam cum illo causam securè acturus; & nisi decenter ac sufficienter sibi esset in Dania provisum, in Norvegiæ, quæ interim propterea neutri foret adhæsura, sine impedimento remeaturus, aut quod libaret aliò profecturus esset. Atque hæc spöonderant regi Christierno, sectatoribusque, Danorum & Negotiatorum Vandalicorum Commissarii, sub fidei ac honestatis privatione, immò gravissimâ numinis ultione, & æternâ damnatione! Non tamen his omnino confidens promissis rex Christiernus, claram post triduum, hujus diploma contractus, cum literis suæ apud Norvegos designationis, filiique, ad Imperatorem transmisit. Et simulans nihilominus æquum animum, devote nimium patruo simul perscripsit Regi Friderico, asseveransque se, velut filium prodigum, suum modò revisere patrem, eâ quidem spe, quod cum uterque novo Evangelii lumine esset Dei gratiâ illustratus, in neutrò foret fraus aliqua satanæ deprehendenda; & quod sibi tot annorum ærumnis apud nationes exterias confecto, jamque reduci, sinum clementiæ esset patefacturus, ac humaniter suscepturus.

Polemarchæ verò Danorum, quorum primarius fuit Canutus Gullensternius, Ottoniensium Episcopus, adventantibus ex Suecia binis diverso itinere cohortibus, prius inde rogatis, denunciant transactum esse cum hoste, orantque, ut ipsius pateret copiis securus per Sueonum ditiones transitus in Daniam, & singulares agunt Regi Gustavo gratias, nomine Regis Friderici, pro subsidiis fideliter delatis. His denique consummatis, & Norvegiæ rebus pacatis, IX. Julii, cum rege Christierno Aslogiâ Hafniam versus alacres velificarunt.

Quo etiam dic, jam congregatis Hafniæ Commissariis Cæsarisi, Friderici, Gustavi, Regum, & civium Vandalicorum, renovatur decretum anni

anni MDXXIV; Belgis navigatione per fretum permisstā Danicum. Ideo-que nec illi, nec Imperator, ulla regi Christierno laturi essent suppeditias, & illos plexuri, qui nuperas ipsi tulissent. Navigia quoque hujus, tempore discordiæ, Hollandis aut Vandalicis ablatæ, cum mercibus restituerentur.

Hoc proinde statutum, à Lubecensibus pariter approbatum, illud penitus subvertit, quod prius adversum Belgas fuerat inchoatum, nullo-que ipsum jure Lubecenses deinceps tantoperè urserunt, ut classe Bel-gas armatâ infestarent. Post XV. porrò diem, rex Christiernus sub Haf-niam appulit, quo cum itâ transactum esse, suis Rex Fridericus succen-set Commissariis, quandoquidem antè contractus ob-signationem, secus à nunciis essent admoniti, & nulla ipsos huc impulisset necessitas, sed hostem, qui omnium laboraret rerum inopiâ, ipsâ, velut gladio proprio, mox corruisset, totque auxiliares ex Sueonia cohortes acceſſerint, ut Christiernum captivare, non modò profligare, licuisset.

Verùm illis ad suam provocantibus instructionem, & simul demon-strantibus, regem Christiernum præfatæ transactionis esse prævaricato-rem, quod contra hujus vigorem, diplomata electionis, sibi & filio à Norvegis tradita, in Regis Friderici perniciem, expeditivisset clanculūm in Germaniam. Sicut etiam Danis, Suecis, Holsatis, & Vandalorum mercatoribus, inæstimabilia sibi damna per ipsum irrogata, exaggeran-tibus, ac detinendum, quoisque in judicio respondisset, flagitantibus, carceri adjudicatur.

Hujus ignarus consultationis, in classe interim permansit rex Chri-stiernus, & illâ deductus, XXIX. Julii, Sunderburgum Holsatiæ versus, suum auguratur infortunium; affatim illachrymatur; & dolosam dete-statur transactionem; superos inferosque ad plectendum periuros sol-llicitans.

Illuc autem perlatus, in turri testudineata includitur, cum uno puerō, & januâ muro firmiter obstruētâ, per angustum illi foramen escu-lenta poculentaque porriguntur, quo XII. annis detentus fuit carcere, ac interea temporis fautores illius, publicatis ex typo contractus literis, Dānos perfidiæ vehementer accusarunt.

Sed quo tempore rex Christiernus Sunderburgi captivatur, eodem filius Johannes, permagnæ indolis adolescens, Ratisbonæ moritur. Itâ nulla calamitas sola! quam, longeque graviorem, nefarius ille tyrannus fuit promeritus, qui, ut nemini fidem datam servasset, sic ipsi meritò non servabatur. Advenerant Hafniam cum ipso inter alios Comites Gustavus Trollius, Upsalensis; & Magnus, Scarensis, quondam præfules, quos in honesta tenuit aliquandiu Rex Fridericus ibi custodia, & sollicitatus à Sueco, ut captivos in patriam remitteret, illos jubet tacitâ sibi fugâ consulere, prætendens postmodum apud Regem Gustavum, se invito ipsos profugisse. Qui ad Megapolenses iterum profecti Duces, regiâ Sueonum progenie oriundos, perhumaniter suscipiuntur & sustentantur.

Norvegi hoc Christierni infortunio, & sociorum cognito, sibi quo-que metuunt, ac Regi Friderico novam deferunt obedientiam, modò pri-stinis liceret frui privilegiis. Itaque mense Octobri, ad conventum Ni-drosiæ Ordinum expediti, Trudo Ulftand, & Claudius Bilde, Norvegis exprobrant defectionem, culpam Regi imputantibus, quod nullum sibi tempestivè submisisset auxilium, a regis Christierni potentia oppres-sis, ac promittentibus, se regem non electuros in posterū, citra Dano-rum assensum. Rebellium, verò antesignani, Archiepiscopus, Hamma-rensis & Aslogensis Episcopi, argento non modico Regis gratiam redemerunt, licet secus in contractu Danorum cum rege Christierno cau-tum fuisset.

Quando cœnobia Daniæ habitatoribus evacuata, Horsense, Nycopense in Falstria, Nesvecense, Trelleborgense, Istadense, Halmstadense, ac Visbycense, civibus à Rege Friderico donantur; Sed Tomerupense, Georgio Mynter cessit in feudum, monachis simūl provisuro.

Hanc fidei Catholicæ ruinam ægrè videns Achatius, Lundensium Archipræsul, & non valens subvenire, XXVII. Julii, se abdicavit officio, & Decanatu contentus, privatam egit vitam, quam etiam anno præsenti clauferat. Illi subrogatus Torbernum Bilde, confirmationem percarè à Rege Friderico emit, inauguratione nunquam impetratâ. Porro Amundus Olai, Canonicus Bergensis, Episcopam nauctus Ferogiensem, Regi mille marcas, pro collationis beneficio numeravit. Quod ipsum dubio procul fecit Nicolaus Stygge, cathedralm adeptus Borglamensem. Verùm infulas pertæsus, vitamque Johannes Beldenachius, qui varia fortunæ ludibria fuit expertus, Lubecæ in ultima modò concessit fata.

Anno MDXXXIII. Johannes Gothus, Archielectus Sueciæ, patriâ quoque religionis ergò extorris, ut concilio generali nuper promulgato interesseret, Ecclesiæque ageret causam præsens Suecanæ, principio hujus anni, ex Prussia Italiam versus festinavit. Qui Bononiæ Pontificem atque Cæsarem offendens, utrique religionis in Suecia statum exposuit, Imperatorque illo cognito, ingemuit, & opem promisit benignam. Deindè suasu utriusque Romam profectus, perhumaniter ibi excipitur, & vocatus in Consistorium, prolixa oratione Sueticæ negotium Ecclesiæ manifestat; velut etiam nefaria Gustavi Trollii facinora in eandem perpetrata, testimonioque adjutus præsentis Arcimboldi, ac scripto Patrūm Upsalensium, patriæ Archipræsul designatur, Gustavo deposito, & XXVIII. Julii, in Ecclesia S. Angeli, per Alexandrum de Cæsariniis inauguratus, Legatusque sedis Romanæ in Sueciam confirmatus, post trimeltre Prussiam versus remeat, in via liberaliter à Ferdinando Bohemorum, ac Sigismundo Polonorum, Regibus, aliisque Principibus, donatus atque tractatus.

In Suecia Rex Gustavus interim ab hostibus liberatus externis, internos statuit compescere, nimirum incolas Vallium, & Metallicos. Ideoque mense Januario, ipsos in Tunensibus iterum agris congregatos, rebellionis graviter accusat, & interrogat, an immemores essent spectaculi, quod eodem ante sexennium loco suisset exhibitum, ac quamobrem sibi non liceret ipsis inconsultis trajectum excedere Brunebechensem, quareque campanas denegassent, & suos legatos tantoperè pulsasset? Tandem capitanei rebellium producti, quorum nonnulli protinus horrendas luunt pœnas, & reliqui, quos inter fuerunt parochi, Lixanus Cuprimontanus, & Vichanus, Magnusque Nicolai, ac Andreas Ranchytensis, Stockholmiam perducti, annuo detinentur carcere. Alii verò lachrymarum profusione, obsecratione, & multâ emendationis subjectionisque promissione, gratiâ & vitâ difficulter donati, domum semianimes festinarunt, nec unquam deinceps Regi Gustavo rebellarunt.

Rex Fridericus jam obedientes quoque adeptus subditos, & diu haud se vieturum, propter vitæ imbecillitatem, probè animadvertis, obsecrat, ut filiorum sibi unum vellent Dani postmodum subrogare, & illorum hac de re literas impetrat. Vandalici autem negotiatores, & præsertim Lubenses, conspicati, ac indignati, quod Hollandi plures solito merces, accolis Baltici maris adveharent, ab illisque eveherent, & illud arbitrati contra suum in Sondia privilegium; sicut etiam, cum intolerabili veteris lucris fieri derogatione, protestati, pœnituit ipsos nuperi cum Belgis contractus; ac violenter Hollandois à Baltica submovendos navigatione decreverunt, Dano atque Sueco in subsidium adhibitis. Illum proinde hoc su-

per negotio in primis compellant, qui Brabantii, propter opem regi Christierni collatam, adhuc sub offensus, tali se facinori paratum connivere, solum promittit.

Hunc deinde accedentes, sua commemorant privilegia, quibus omnis negotiatio Gallis, Anglis, Scotis & Hollandis prohibetur, ac solis Vandorum mercatoribus, in regno Sueciæ permitteretur; detimenta ab his sibi irrogata exaggerant; & auxilium in ipsos flagitant. Rex Gustavus hujusmodi prærogativam, cum indigenarum esse detimento, & alienigenarum emolumento, haud ignorans, contractusque cum Belgis, hac super re, non pridem Hafniæ approbati, recordans; inscius tamen conniventia à Rege Friderico promissæ, votis noluit Lubecensium consentire. Hinc ergò legati ipsorum offensi, à Sueco veterum solutionem nominum, contumaciter exigunt, & cum illo abeunt responso, quod quidquid legitimè foret probatum restare, id facile ipisis esse numerandum.

Quocircà, tantam in Suecia repulsam, Lubecenses præter opinionem passi, Regi Gustavo vehementer succenserunt, palam dictantes, ut throno illum collocassent; sic ipso non difficulter eum deturbarent, hoc protinus cum Suecis exilibus tacite machinantes, & varia hujus rei adminicula indagantes, mercesque ibi Regis ac Sueonum occupantes.

Primo autem vere, XXIV. navium classem in Oceanum expediunt occiduum, uno consulme Marco Meyero architalasso, & navigationem Belgis per fretum Cymbricum animosè impediunt, illisque ex pacto connivet Danus, atque ut desistant à maris infestatione, fraudulenter admonet.

Quo tempore Rex Fridericus in morbum incidit lethalem, & III. Aprilis die, per ipsum extinctus, Slesvici humatur, his superstibus liberis ex binis conjugibus, principe Christiano, qui ipsi successit in regnis; Dorothæâ, Alberti D. Prussici consorte; Johanne; Adolpho; Friderico; Elizabethâ, Magno in primis, deinde Ulrico, Megapolensem nuptâ Principibus; Dorothæâ, II. Christopheri uxore Magnipolensis; & Annâ, nubiles ante dies morte sublatâ.

Secundum regias porro exequias, jubentur regni Ordines Hafniæ, XXIV. Junii, pro novi regis electione, comparere, illoque adveniente tempore, Præsules in frequentia Statuum, in primis gravi oratione conquesiti, de Lutherani dogmatis propagatione; & fidei Catholicæ, quæ tot floruissebat seculis in regno, exterminatione; veterum privilegiorum conculatione; cœnobiorum desolatione; ac Ecclesiarum direptione profanationeque, obsecrantes, ut fides restitueretur avita, & inviolata impostorum servaretur. Quod Rex Fridericus in sua etiam promisisset inauguratione; nec tamen pollicitationi stetisset.

Itaque senatus consulto, juxta constitutiones Ottonienses, Catholica decernitur fides restituenda, & qui hujus fuisset præcipius adversarius, M. Johannes Thausonius, in jus vocatus, ideò ab Episcopis plurimum incusatur, & quod libris publicatis, illam; venerabile sacramentum; ceremonias; ordines monasticos; Antistites; Clerumque, calumniis, imposturis ac convitiis insolenter oneravisset, demonstratur. Illi autem propterea ex præscripto legum plectendo, hac ignoscunt Præsules conditio ne, Procerum moti intercessione, quod intra mensem ex Sielandia esset migraturus; nullibi Ecclesiastico in Dania munere functurus; libros non promulgaturus; nec Catholicis oblocuturus. Istud quando negotium in domo ventilatur & judicatur Senatoria, plebs pro foribus suum defensura concionatorem, tumultuatur, & cognoscens haud gravius cum ipso aetum, sedatur.

Finito religionis negotio, electionis aggrediuntur Ordines, quando principis Christiani legatus prodiens, beneficia commemorat Regis Friderici, Danicæ præstata Reipublicæ, eaque propter, uni filiorum regni promissum esse literis diadema, commonstrat. Optimates verò petitioni consentientes, quisnam ipsorum eligendus, dissentunt. Siquidem non nulli Procerum, principi Christiano velut primogenito, & regimini per ætatem idoneo, sua ferrent suffragia. Sed illum Episcopi, sectatoresque, propter dissolutiorem in adolescentia vitam, & ipsius erga doctrinam Lutheri amorem, summopere aversantes, Johanni secundo-genito, cum adolevisset, sceptrum esse porrigidum, ac interea in fide educandum Catholica, comprobarunt, demumque impetrarunt, prætexendo absentiam Procerum Noricorum; ast intendendo suæ interim causæ corroborationem, ut Regis electio in sequentem prorogaretur annum. Deinde ad alia regni negotia conversi, illa concorditer ordinant, & considerantes quanto patria in periculo versaretur, propter inimicitiam cum domo renovatam Burgundica, legatos in Belgium pro amicitia destinant restauranda, confirmandoque.

Iitis interfuit comitiis Lubecensium consul, Georgius Vullenveberus, qui prolixè in confessu Optimatum, de subsidiis à Repub. Lubecensi crebro Daniæ exhibitis, peroravit; Ideò flagitans, ut Dani beneficiorum memores, conjuncto cum Vandalicis negotiatoribus marte, Suecum impugnarent, & Hollandos ex mare arcerent Baltic. At gravibus de causis passus repulsam, quas inter, quod jure gentium libera deberet esse navigatio ac negotiatio, quodque hujusmodi nationum exclusio occidentalium, regno foret admodum perniciosa Danico, propter vectigalium, quæ hoc contingeret pacto, diminutionem, iracundiâ excanduit; Et tamen animum haud despöndens voto potiundi, longè Danis consilium arripuit exitialius. Etenim conspiciens inferiores regni Ordines Lutheri addictos, superioribus apprimè infestos esse, propter dogmatis restitutionem Chatolici, cum illorum primariis, Ambrofio Hafniensium, & Georgio Myntero Malmogensium, consilibus, occœpit clanculum hoc super negotio consultare, illisque insinuare, non posse oportunius fidem Danis obtrudi Lutheranam; Præfules, Proceres, ac nobiles aboleri; gubernaculum Daniæ & Norvegiæ civibus committi, à Regum tyrannide liberatis, quam si Hanseaticæ adscriberentur societati.

Quâ ipsi oratione persvasi, consentiunt, fœdus pangunt; suarum se portas urbium, adventantibus Lubecensium copiis, patefacturos promittunt. Quamquam paucis ante diebus, in Senatu regni, cum aliis civitatum Daniæ carum ad comitia Legatis, omnimodam proceribus fidelitatem sancte spopondissent.

Optimates Daniæ Lutherani, quorum potissimi fuerant Magnus Gœie, Ericus Baner, & Magnus Gyllenstern, indignantes Christiani electionem non processisse, ante finem comitiorum, Catholicis insalutatis, discedunt. Nec horum territi fremitu Præfules, & potiores de Senatu politici remanentes, illam renovant Johannis designationem, quâ Nyburgi, ante quadriennium, fuisse parenti successor appellatus, & principem octennem, Catholicis commendant viris educandum, literisque imbutum, posteà coronandum. Quam fratri promotionem junioris, haud lubenter cognoverat princeps Christianus; velut neque illius sectatores, qui præterea Catholicis offensi, ob M. Thausonii proscriptionem, variis impellunt blanditiis Joachimum Ronnovium, ad consentiendum illius revocationi, adeò ut Magnus Gœius filiam Episcopo suam, hanc propter causam, atque ut Præfulem ad castra pertraheret Lutherana, etiam obtulerit uxorem.

Verū

Verum ille fraudis non ignarus, prænobilem recusavit virginem, & nihilominus propter exulem Thausonium, populi subveritus tumultum, annuit hac lege ipsius restitutioni, ut posthabitatis invectivis, calumniis, & factionibus, Hafniæ pacificus concionaretur. Verum alii Danorum Antistites, nec blanditiis nec minis commoti, fretique decreto Hafniensi, non paucos ex suis abegerunt diœcesibus concionatores Evangelicos, qui hinc plebeculæ odium incurserunt plus quam Vatinianum.

Quo temporis intervallo, legati Danorum in Belgio constituti, XXX, annorum inducias, cum incolis, & domo Burgundica, Danis, Norvegis atque Holfatis, impetrant, ac interim Belgæ per fretum securè navigaturi Danicum, & si propterea Dani à quopiam impugnarentur, ipsis laturi essent subsidium. Quarè legatis domum reversis, Ordines huic subscripturi statuto, convocantur Ottoniæ, ad XXI. Septembris diem, ubi decretum ratificant, & alios destinant Proceres in Sueciam, novum cum Rege Gustavo etiam fœdus pacturos, ac vetus renovaturos. Tertius denique Ordinum conventus Danicorum, habitus est Randersburgi, mense Novembri, quo Holsatos firmioribus sibi obstringunt pactis, & plerosque Danorum princeps Christianus, suæ addictiores causæ reddere conatur.

Porrò Lubecenses, modò Danis popter fœdus Belgicum longè acerbius irati, & illâ cum Hafniensibus ac Malmogensibus factione plurimum animati, Daniam Norvegiamque suo decernunt imperio, velut Cyprus Venetis, subjugandas. Atque idem Sueciæ jugum, ut toti dominarentur Scondiæ, machinantes imponere, quosdam civium Stöckholmensium, eâdem quâ Hafnienses & Malmogenes arte, suæ redditum addictos molitioni, qui Rege per fraudem trucidato, regnum meditabantur Lubecensibus prodere. Nec inscii Lubecenses, plurimos Suecum, magis Stureorum familiæ quam regiæ favere, ut hos sibi quoque conciliarent, illustrem juvenem Svantonem Sture, Stenonis quondam in Suecia Gubernatoris filium, Lunenburgensium Principi, socero Regis Gustavi, pro tempore inservientem, Lubecam dolo perducunt. Et cùm detento illic septimanas aliquot, conati essent frustrâ persuadere, ut Regi Gustavo se opponeret, paternamque repeteret dignitatem, Lubecensium subsidio, instinctu Regis in aula Lunenburgensi propediem veneno alias tollendus, affectum insigni ignominiâ dimittunt Lunenburgum.

Unde Svanto libello ad Imperatorem supplici transmiso, de tanta sibi à Lubecensibus injurya queritur irrogata. Sed illi nihil inde formidantes discriminis, & non ignorantes Johannem ab Hoija Comitem, Regis Gustavi sororium, Finlandiæque Toparcham, Regi esse suboffensem, quod minus æquè hæreditaria prædia divisiisset cum sorore Margareta Comitis uxore, missò ad illum Hermanno Mæller, easdem fermè deferrunt illi, quas nuper Svantoni, conditiones promotionesque. Nec ipsas abnuit Comes, iræ gloriæque cupidior, & proximo se Lubecum anno venturum pollicetur.

Rex Gustavus de hac nè somnians quidem conspiratione, & fidei sedulus meditans porrò reformationem, Laurentio Archisuperintendenti confert potestatem, vacantes Evangelicis concionatoribus partecias concedendi; Sed prohibet nè quicquam in religione amplius se inconsulto innovare præsumeret. Laurentii verò frater M. Olaus, Regis fuit aliquandiu archigrammatæus, qui XVIII. Maji, se illo abdicavit officio, ipsique fuit substitutus prænobilis vir Canutus Andreæ. Quando Magnus Sudermanniaæ Præsul, suos eâ conditione proventus, Ecclesiæ que,

que, retinuit, ut Regi quotannis duo marcarum millia numeraret. Verum Abrahamus quidam, ut redditibus frueretur cœnobii Scheningensis, tribus promisit equis in bello se militaturum; & Gudmundus Nydalensis vasallus, aureos XXX. Ungaricos pollicebatur. Hujusmodi Johannes Braschius, in sua diœcesi ærufcationes ac innovationes fieri, magnopere indignatus, XXIX. Septembris, Dantisco hortatur Gothos, ut constanter avitæ adhærerent religioni, & Lutheranam respuerent, si æternæ vellent sententiam damnationis evadere. Asseverans se propediem illis coram eadem inculcaturum, ac imputatum sibi perduellionis falso crimén refutaturum, honestè Catholiceque per Dei gratiam, non Lutericè se moriturum.

Atqui post quatriduum suis cum Rege Gustavo expostulat vehementius literis, propter religionis in patria innovationem, & thesauri Ecclesiastici expilationem, ipsi damnationem interminans, nisi rediret ad gremium Ecclesiæ, & huic, Deoque, sublata restitueret talenta. Ipsi Theodoricum præferens Veronensem, Arrianum, quod basilikæ aurum Vaticanæ contulerit, non abstulerit; sugerens vindictam regi Baltazero infictam, usurpanti solum vasā, per Nebuchodonezerum templo Salomonis ablata. Exponens etiam ipsi quorundam impietatem Cæsarum, calamitatemque, velut Juliani Apostatæ; Ottonis IV; Friderici II; & Henrici IV. Et tandem protestans, se coram postremo inundi judice, in Regis ac Sueonum infortunio, velle excusatum esse.

Präterea Bernhardus à Mœllen, libello ex typographia Lubecensium publicato, non pauca etiam Regi Gustavo imputat crimina, & potissimum illi exprobrat interitum magnifici viri Nicolai Böetii, memorans, Regis mandato fuisse trucidatum. Sed Birgerus Nicolai filius, suis testatus est literis, parentem à rebellibus occisum colonis, citra Regis culpam, & Bernhardum convicit mendacii. Regem Gustavum verò tot fessum pro Repub. curis, tantisque calumniis oppressum, natus illi XII. Decembris, horâ post meridiem IX. primogenitus Ericus, magnoperè consolatur. Cui deinceps prima literarum tradidit rudimenta, M. Georgius Normannus, qui hoc advenerat tempore in Sueciam, à Martino Luthero, & Philippo Melanthone, Regi commendatus.

Anno MDXXXIV. Danorum Legati causam patriæ molitionibus Lubecensium percussæ, fideliter in Suecia promoventes, illius nomine cum Rege Gustavo, eosdem quoque hostes submetuente, pristinum restaurant fœdus, qui II. Februarii, spondet cum DCCC. se Daniæ indgenti subventurū armatis, & vicissim ab illa, Norvegiaque, M. pugnatorum tempore necessitatis habiturus subsidia. Porro querentibus Sueonum patritiis, de prædiis in Dania & Norvegia sub Christierno & Johanne Regibus, olim injustè sibi ablatis, in conventum Legati consentiunt, XV. Augosti, his super controversiis Varbergæ frequentandum, & Daniam repetunt. Quorum etiam relatione certior factus Rex Gustavus de Lubecensium machinationibus, illisque propterea graviter infestus, merces ipsorum in regno passim deprehensas subjicit arresto. Et Senatus Daniæ hanc mercium utrobique interceptionem, bello ansam propiciens præbituram, nec ab illo suam fore patriam immunem coniderans, se partibus offert controversiæ sequestrem; Nec amicam Suecus abnuit transactionem. Sed Lubecenses marte, non hujusmodi arte, litem decidere animationes, quo non merces solum se recuperaturos ablatas certò confiderent; verum & toto Scondiæ imperio se potituros sentirent. Et quidem tantâ hujus dominii spe lactabantur, ut hoc ineunte anno, transmissis in Angliam legatis, Henrico Regi Daniam præsentarent

rent emendam, & XX. Joachimicorum millia hac vice ab illo impetrarent, residuum precii, tradito ipsi regno, percepturi. Non tamen audentes, nisi Belgis primum firmius reconciliati, Scondios impugnare, initio veris, quadrimas cum ipsis Hamburgi pangunt inducias. Postea non ignorantes plebeculam Scondiae regi Christierno addictam plerumque exstisit, ut illius amore, & Imperatoris favore, aliorumque Christierni liberationem desiderantium, felicius proinde cum Optimatibus belligerarent Scondianis; Hanc speciosam obtendunt bello causam.

Quod cum ipsis una obsignassent in Norvegia literas contractus cum illo initi, & sub honestatis ac beatitudinis aeternae promisissent amissione, securitatem libertatemque regi Christierno; ac ipse nihilominus contra fidem scelerate violatam, abductus esset in captivitatem, se religione impelli ad illum liberandum. Etsi prius illi suassent, consensissent, & urassent, regis Christierni captivationem, citra ullum tum temporis, propter fidei datæ violationem, conscientiæ remorsum. Verum nihil minus ipsis fuit animo quam quod præ se tulerunt; quandoquidem Lubecenses, regis Christierni, ac omnis in Scondia regiæ prosapiæ, Magnatumque internectionem atque extirpationem, taciti machinarentur, ut ipsi peninsulâ velut Monarchæ potirentur, & in ea pro arbitrio negotiarientur cum suo emolumento, ait summo incolarum detimento!

Hujus itaque socius conspirationis, Johannes Hojensium Comes, & Finlandensium Gubernator, memor promissi Lubecensibus facti, per literas flagitat à Rege Gustavo affine licentiam, in Germaniam curandæ gratia valetudinis paulisper navigandi. Sed ille factionis habens sororium hujus suspectum, rescripsit, querendo, quid nuper Viburgi voluisse Herrmannus Mællerus Lubecensis, Comitemque in Sueciam, de arduis quibusdam regni negotiis simul deliberaturum, invitando. Qui hinc proditam suspicans molitionem, arcibus Finlandiæ probè firmatis, mense Aprili, cum uxore, liberis, divitiisque Lubecum quantocyùs velificavit. Quando, velut & prius, non paucos ex præcipuis fermè Regis Gustavi servitoribus Lubecenses, suâ & Sueonum operâ quorundam, videlicet Gustavi Trolle; Johannis Gothi, Upsalensium Archipræfulum; Johannis Braschii; Magni Haraldii, Lincopiæ & Scaræ quondam Episcoporum; & Bernhardi à Mællen; aliorumque sibi adhærentium, ob Catholicum hinc dogma exulantium, ac dolos ignorantium Lubecanos, ad sua pertraxerunt castra, qualis erat Ascanius à Werle; Wolfgangus; Geilerus Secretarius; Olaus Bremius, Camerarius; Fridericus quæstor; Andreas monetarius; & Martinus Munchius, castri scriba Stocholmensis; aliique numero plurimi, quorum multi Comitem deinceps Johannem fugâ (cui multas & graves obtenderant causas, in Regis vergentes detestationem) insequebantur.

Quibus omnibus Lubecenses non contenti, Christopherum ab Oldenburgo Comitem, Coloniae beneficio fruentem canonicum, velut propinquum regis Christierni cognatum, belloque mediocriter versatum, ut subdola ipsorum machinatio minus proderetur, ad hanc quoque invitant militiam. Qui regis liberandi, insignisque stipendii propositi cupidus obtinendi, Lubecum similiter advolat; se mercatoribus ad fidelitatem obligat; & ignarus omnino molitionis, militem sumptu illorum congregat; eorundemque instinctu & fallaci prætextu, missis ad Christianum Holsatiæ Principem literis, Christierni contumaciter flagitat liberationem, velut adversus pacta sigillaque captivati, ac castro Sunderborgensi custodiæ inhumanæ mancipati.

Atqui responsum deinde nactus, quod Christiernus Danorum Suecumque, non Holsatorum esset captivus, & cum illis propterea de tali

agendum esse liberatione, XXII. alteris cum Christiano expostulat literis, solenniter protestans, de injusta regis Christierni captivatione, & asseverans pro sui libertate cognati, opes se vitamque profundere paratum, atque bellum Christiano hac de causa, suo, & Vandalicarum nomine urbium, denunciens. Tertiis vero post quatriduum Danos compellat litteris, eadem commemorans, & illos dehortans à ferendo Holsatis substdio, quos exemplò invasit, aliquot ibi expugnans munitiones, in Daniam irrupturus, quamprimum intelligeret ipsam exercitu destitutam, Holsatis transmissò fœderatis.

Siquidem illa fuit Lubecensium molitus, ut Holsatiam in primis impugnarent, & regem Christiernum libertati restitutum, cogerent suis obtemperare votis, & amplissimum donare in Scondia, exclusis occidentalibus negotiatoribus, solis Vandalorum mercatoribus, privilegium, si horum vellet auxilio sceptris potiri amissis. Sin vero ista modo non succederet machinatio, cum Dani ex fœdere Holsatis potissimas vires & viros regni transmisserint, Daniam illi, revocatis ex Holsatia copiis, infestarent, faciliusque subjugarent, propter exercitus absentiam, & conjurationem cum primariis regni civitatibus, rege insuper destitutam, ac Daniæ Norvegiaeque victores, Sueciam demum expugnarent & occuparent.

Cæterum Christianus, hostem ex sua expulsurus provincia, arcesque recuperaturus amissas, frequentissimum cogit militem, & auxiliarem à Danis petit, illoque impetrato, adversariis pergit obviam. Interim Georgius Mynterus, consul Malmogensium, inaudiens Holsatiæ impugnationem, & pauci cum Lubecensibus sancti probè recordans, IV. Pentecostes feriâ, urbis Castellanum fraudulenter captivat, ac binos de Senatu regni Proceres, filiosque nobilium permultos, scholas Malmogiae frequentantes, & occupatam solo adæquat civitatis acropolim.

Causam hujus rebellionis, ad Marschalcum regni perscribunt protinus Malmogenses, afferentes, propter constitutiones Hafniæ adversus Evangelicos nuper promulgatas, & suorum persecutiones concionatorum, proscriptionesque; velut etiam, quod arcem Rex Fridericus contra urbis privilegia illic fundavisset, se hanc subvertisse, & arma in religionis defensionem corripuisse. Postea Mynterus Hafniam profectus, illud quoque castrum dolo conatur occupare; verum spe suâ frustratur. In Holsatia Christopherus sperato similiter non potitus successu, auditio Christiani adventu, vasa conclamat, & Lubecum remeat; indeque cum XXIII. classe navium, & prægrandi exercitu, in Daniam navigat, XXII. Junii, in Oeresundio jaciens anchoras. Quem Georgius Mynterus subito accedens, gratulatur adventanti; à quo dudum instigati simùl incolæ civitatum in Falstria & Lolandia, Comitisque adventu animati, quaslibet harum ditionum occuparunt munitiones; ac religionis prætextu Evangelicæ ipsis prohibitæ, rebellionem excusarunt.

Quo confluabant Ordines regni tempore, ad conventum Hafniensem, designaturi Regem; simulque Norvegi ad illum vocati advolant, quos Comes in vincula conjicit, & clasie relictâ, Roschildiam pergit cum exercitu; ubi populus Sielandiæ congregatus, ipsi, nomine Regis Christierni, spondet obedientiam. Quando Comes fideli suo Achat, Gustavo Trollio, Episcopam contulit Roschildensem; quam Ronnovius tamen deinceps recuperat, X. millibus Comiti marcarum numeratis, & cathedra Trollio conceditur Ottoniensis. Diœcesi porrò fuit Joachimus Roschildensi propterea spoliatus, quod Hafniæ, cum aliis regni Optimatibus ad Comitia congregatis, delitescens, incolis dissuaderet Comitis admissionem, à quibus idcirco vitâ etiam fermè orbatus fuisset. Etenim ac-

acceptâ privilegiorum ab illo confirmatione, & Lutherani dogmatis permissione, XVI. Julii, civitatem libentissimo illi pandunt animo, qui post X. exinde diem acropoli simul potitur, omniq[ue] Daniæ apparatu bellico.

Unde Lubecenses de regni amplius non dubitantes subjugatione, literis per Europam publicatis, asseverant, has propter causas æquifimas, se ad illius fuisse compulso impignationem. Nempe, quod rex Christiernus contra pactum foret captus; quod crebra Danis præstissent subsidia, & nulla in Hollandos ab illis obtinerent; quod pertutis non permetterentur in negotiatione privilegiis gaudere; quod cum Sueonibus in Lubecenses conspirarent; Denique, quod Evangelicis à Catholicorum potentia illic oppressis, vellent opitulari.

comes Christopherus Sielandiæ potitus, Scanos hortatur ad subjectionem, & alienos non comperiens illos à rege Christierno, illuc properat, ac X. Augusti, fidelitatis juramentum ab universis provinciæ inhabitatoribus, sub Lundia congregatis, acceptat, & Malmogiam remeat. Indeque Norvegos literis invitat ad regis Christierni partes, quas non recusarunt, & præsertim Antistites, Regis Friderici filiis suboffensi, quod adversus pactum forent nuper à parente illorum mulctati; Ac horum quidem unus Johannes, tanto Comitis successu territus, ex Dania secessit in Holsatiam. Sed comes Christopherus Malmogiæ reversus Hafniam, quosdam expedit famosos in Jutiam piratas, quorum fuit antesignanus Clemens quidam, cognomento Nauclerus; Qui delatus cum sua in Jutiam colluvie, grandes ibi commovet tumultus; plurimos incolarum regi Christierno fidos reddit; & capto Aleburgo, illic se firmavit refugiumque semper ibi captavit. Christianus interea hostibus ex Holsatia pulsis, cum grandi properat exercitu Lubecam versus, illud in absentia militarium copiarum impugnaturus, & cladem à Lubecensibus Holsatiæ illatam vindicaturus.

Præfules autem & Proceres, aliique Jutiæ Nobiles, cognitâ Hafniensium ac Malmogenium defectione, IV. Julii, sub Schandersburgo congregati, principem Christianum designant regem, illorumque secuti exemplum Fioniæ Optimates, post V. convolantes diem, Christianum quoque regem salutant, & suo cum Jutorum Legato ad ipsum expedito, electionem candidato insinuant; privilegiorum postulant confirmationem, & promissum impetrant. Quando Haderslebiæ Fridericum Christiani filium nuper genitum, præfati de sacro susceperant fonte Legati, hisque domum reversis, convocantur Ordines Jutiæ ac Fioniæ sub urbe Horsensium, & comparentem illic principem Christianum, ac privilegia roboranter, circiter XVII. Augusti diem, ipsum concordibus nominant Regem suffragiis. Episcopi tamen plurimum in primis reluctabantur electioni, Catholicorumque reliqui, quod nollet competitor, Lutheranis addictus, veteris confirmare dogmatis exercitia, & tandem frequentiâ potentiaque superati adversariorum, designationi coguntur suffragari.

Hac gavisus promotione princeps Christianus diu exoptatâ, illam protinus Gustavo Sueonum Regi suo congenero significat; auxilium ab illo contra hostem implorat communem, Lubecenses, juxta fœderis tenorem Stocholmensis, orans ut Sciam & Hallandiam Comiti Christpherio eriperet, Daniæque restitueret, atque nonnullum pecuniæ flagitat pariter subsidium, istud deinceps soluturus. Similiter Legatis ad Belgii Gubernatricem transmissis, illi suam insinuat electionem, & quomodo Lubecenses, propter Hollandorum per Oeresundum admissam navigationem, Daniam invaserint, manifestat, petitq[ue] debitum ex fœdere

dere Gandavensi subsidium , armatam scilicet VI. navium classem.

Verum illa Lubecensium literis seducta, clamantium pro rege Christierno in libertatem restituendo se belligerare cum Danis , opem distulit ferre , donec molitionem cognosceret Lubecensium cum Rege Anglorum , & formidaret ne Henricus domui Burgundicæ infestus , Daniâ potiretur. Rex Gustavus porro antè Danorum in Sueciam adventum , suas expediverat copias in Finlandiam , quæ in Julio , Viburgum & arcem Novam , aliasque hujus provinciæ munitiones , Comitis præsidio eripuerunt , illudque ad dominum Regis jussu transfire permiserunt. Promotione vero & petitione principis Christiani intellectâ , Rex Gustavus victorices revocat ex Finlandia cohortes , & instructissimas X. naves in Oceanum adversus Lubecenses atque Scanos destinat , hos , Sielandosque , ad obedientiam Regi Christiano præstandam , & Jutos simul literis hortatur ad constantiam , spondens obtemperantibus adjumentum , ac reluctantibus detrimentum.

Insignem quoque auri & argenti summam fœderatō mutuavit , tanto que Rex Christianus subsidio animatus ac roboratus , Lubecensium obvia expugnat propugnacula , & urbi appropinquat. Quo Consules nuncio perculti , Lubecenses domum ex Dania festinant , & Suecus illo recreatus successu regis Christiani , multò instructiorem ipsi subsidio expedit classem , quæ onerarias Hafniensium & Gedanensium aliquot intercepit.

Hi proinde Sueonibus magnoperè succentes , nonnullas ipsorum ex præfata classe naves sub Dantiscum forte delatas , invadunt , capiunt , & epibatarum MD. in carceres detrudunt , cum Jvaro Flemmingo horum capitaneo. Qui mortem , intercessione Johannis Gothi , ex Italia paucis ante mensibus illuc reversi , difficulter evaserunt.

Sed non illâ usus clementiâ domi Rex Gustavus , erga Magnum Nicolai ; Andream Petri ; Nobiles montanos ; Jngonem Johannis , præfectum ; Benedictum , scribam Vallensium ; & Evardum , parochum Lixenium ; aliosque priori captivatos anno , utpote , qui principio veris , Stocholmiæ rebellionis , conspirationis cum rege Christierno , ac perduellionis , ob repetitas campanas , verberatos Regis nuncios , accusati , atque damnati , horrendo Arosiæ suppicio afficiuntur.

In Octobri autem , gravissima cinxit Lubecum obsidione Rex Christianus , ipsique solùm XII. aureorum millia Gubernatrix Belgarum submisit , modò illius magis addicta hostibus , quod ipsorum ope Regem confideret affinem liberatum iri , & istum , vel ejus generos , Fridericum Rheni Palatinum , ac Franciscum Mediolanensem principem , qui filias regis Christierni Dorothæam atque Christinam , hoc currente anno duxissent , Scondiæ sceptris potituros , auxilio Cæsaris promisso animosos. Hanc proinde subveritus machinationem Rex Gustavus , omnibus decrevit viribus ferendas regi Christiano tempestivè suppetias , ac proinde maritimis domum cohortibus sub brumam revocatis , terrestres mense Octobri transmisit in Hallandiam , quibus Halmstadium occupatur , & Vardbergum impugnatur , Lagaholmumque crematur.

Atqui Varbergum pro tempore haud expugnari posse , ob novum à Comite impositum nuper præsidium , Sueci considerantes , adversariis inducias usque festum Paschæ flagitantibus , illas concedunt , & Scaniam versus abeunt. Comes Christopherus autem provinciam defensurus , insignes illuc expedit cohortes , mandans ut Scanis sibi conjunctis , hosti occurrerent. Verum illæ non tam de regione defendenda , quam potius diripienda , sollicitæ , Archiepiscopum in primis spoliatum in vincula conjiciunt. Quocirca Proceres nobilesque Scaniæ , idem sibi para-

tum

tum animadvertisentes infortunium, advenienti Suecorum exercitui se adjungunt, & renunciata per literas Christophero his de causis obedientia, eandem nomine regis Christiani, promittunt Sueonum polemarchis, Laurentio Thuronis, atque Laurentio Siggonis, unaque pergunt contra hostes Helsingburgum, anno exeunte.

Quem propter tumultum in Dania, conventus in aliud prorogatur tempus Vardbergensis. Nec in Scania & Sielandia duntaxat tumultuatur, sed etiam in Fonia, quam Comitis Christopheri hoc tempore miles occupavit, ipsumque inde mox Rex Christianus profligavit; Non ex Jutia, ubi colluvies piratarum memorata, crudeliter in autumno impune graffatur, praedaturque, cui Optimates Jutiæ congressi, trucidantur.

Rex Christianus tandem animadvertisens, sibi haud possibile Daniam simul occupare, & Lubecum impugnare, cum Lubecensibus statuit aliquantis per pacisci. Qui eadem compulsi difficultate, & super transactione interrogati, ipsi lubentes consenserunt. Quamobrem Hamburgi fautorum operâ, XVIII. Novembris, inter Regem Christianum & Lubecenses, quoad Holsatiæ duntaxat, pax firmata promulgatur. Verum de dominio Daniæ litem armis decisuri, illuc propterea Lubecenses exercitum protinus expediunt, quo haec tenus usi essent in urbis defensione, suumque eò longè copiosorem pariter Rex Christianus transmisit. Quando Regi Sueonum de hac perscrispit cum Lubecensibus transactione, ac sua in Daniam expeditione, flagitans plus subsidii pecuniarii, ac multam spondens cum solutione gratitudinem. Deinde Jutiam Rex Christianus cum suis ingressus cohortibus, Aleburgum expugnavit; duo millia agricolarum trucidavit; Clementem seditiosorum antesignanum captivavit, qui posteà supplicium subiit promeritum; & Jutiam pacavit; milesque in ea hybernavit, naviis ad invadendum hostes destitutus.

Existimans interim Rex Christianus, adversarium aliis posse ad miniculis permoveri ad controversiæ decisionem, datis & acceptis obfidiibus, cum Comite Christophero Coldingæ hoc super negotio frustrâ colloquitur. Quandoquidem aliis noluerit ille conditionibus cum Rege pacisci, quam ut is utraque contentus esset Jutia cum Holsatia, & regi Christierno Norvegiam, Sielandiam, Scaniam, Fioniam, reliquaque Daniæ insulas ac provincias, assignaret, libertati pristinæ restituto.

Quas Rex Christianus mox recusavit conditions, velut iniquissimas, & Christopherus re infectâ in Sielandiam remeavit. Qui celebratis exemplò Hafniæ comitiis, violenter ab Ordinibus nervum belli continuandi extorsit, quem non absque maximo vitae periculo Proceres in primis contribuere recusarunt, quod ideo Hafnienses & Malmogenses ipsis intulissent, nisi Comitis suasu in tempus cædem oportunius distulissent.

Johannes Gothus, ut præfatus sum, ex Italia reversus hoc anno in Prussiam, Regi Gustavo saepius perscrispit de sua Romæ promotione, & accepta ibi commissione, ut Sueones ad Catholicæ unionem Ecclesiæ revocaret, se ad redeundum in patriam, huicque satisfaciendum muneri, paratum significans; causam Lutheranorum graviter elevans; & Regem ad pristinæ restitutionem fidei sedulus exhortans; protestansque se hujusmodi operam regno exhibitum, ut illius Suecia, quam diu foret Suecia, cum debita gratitudine memor esset futura.

Sed nullo ipsum Rex Gustavus responso fuit dignatus, licet per se-

quens quo moratur Dantisci triennium, eodem super negotio sæpius illum Archipræful compellaret. Crebris præterea literis interim in Daniam & Norvegiam expeditis, incolas ad Ecclesiæ Romanæ impellit observantiam, atque constantiam. Potissimum tamen de Sueonibus gerens fiduciam, in gratiam illorum curat operâ Petri Benedicti quondam Lincopenis Canonici, sacrum Bibliorum codicem vernaculo donari sermone, adnotatis simul Lutheranæ translationis exorbitationibus.

Suis verò partibus habuit Johannes addictum in Suecia, Doctorem Petrum Magni, Arosiensium Antistitem, qui modò vitam cum morte commutavit. Quorum primarius fuit vicissim in regno adversarius, M. Olaus Petri, qui hoc tempore collatâ cum M. Bothvido Lincopenium Canonico operâ, Chronicon patriæ concinnavit, & peregrinam laboris mercedem reportavit.

Anno MDXXXV. Illucente, Sueones Sconique Helsingburgo approxinquant, ubi Marcus Meyerus, & Georgius Mynterus, cum aliquot peditum cohortibus delitescentes, castrum Tychoni Krabbe dolo eripere meditantur, & XIII. Januarii, illis Sueones congressi, victoriam reportarunt, captoque Meyero, Varbergæ custodiendo, Mynterus profugit Malmogiam. Victores porro animum Castellani non alienum à Rege Christiano intelligentes, inde Lundiam abeunt; commeatum præripiunt Malmogensibus, & auxiliaribus à Rege copiis rogatis, impetratisque, illos, atque Lanscronenses obsident.

Christopherus autem defectione Scanicorum Optimatum, & suorum internecione, vehementer offensus, quotquot in Sielandia & finitimis potuit insulis deprehendere nobiles viros, Malmogiam expedivit captivos. Deinde cognoscens illorum nonnullos in Draxholmensi arce refugium captasse, ipsam per Comitem impugnat Hoyensem, & non expugnat; indeque Præful elapsus in Jutiam Roschildensis, Regi Christiano spondet fidelitatem. Quando Rex Gustavus captum inaudiens Meryrum, & quasdam ex illo Lubecenium machinationes cupiens intelligere, ad se perductum frustrâ interrogat, ac Varbergum destinat. Sed XX. Januarii, extorquet Comes à Sielandis novam contributionem, quo Rex Christianus tempore Fioniam invadens, Christopheri exercitum profligat, & Assenses aliquandiu impugnat. Sed considerans se Daniâ nequaquam potitum, nisi dominium inprimis Baltici maris obtineret, commeatumque Hafniensibus & Malmogensibus præriperet, eodem mense legatos in Sueciam transmittit, hujusmodi petitum auxilium. Quibus cum simul esset mandatum fidem explorare Noricorum, horumque pariter implorare subsidium, divertunt Bohusium, ac inde perscribunt his de rebus Archiepiscopo, literisque Claudio Bille commissis, in Sueciam pergunt. Illic insignis promittitur classis, non architalassus, quem Danus sibi foret provisurus. Scotorum quoque Rex, & Albertus Borussorum princeps, similiter rogati, opem spondent; Non Anglus, vel Belgarum moderatrix, licet hac de re forent etiam sollicitati.

Hactenus Varbergi Marcus Meyerus liberâ nimis custodiâ detentus, præsidiarium seducit militem; Castellum excludit Trudonem Ulftand; arcem & urbem insigni occupat perfidiâ, IX. Martii, & hanc usque in autumnum retinet, interimque Lubecenses habitâ cum ipso deliberatione, quod bellum ipsos jam tæderet, offerunt Anglo Hafniam, Malmogiam & Varbergum, bellicos sibi sumptus refusuro. Atqui optatum in Anglia non adepti responsum, Imperatori, & Friderico regis Christierni genero, eadem has munitiones conditione præsentant, quas non recusant.

Sed ille Norvegiam in primis subjugandam ratus, X. Aprilis, per literas

ras significat incolis, Dorothæam Christierni filiam Palatino nupsisse, & instigat ad permittendum ipsi propterea Norvegiæ thronum, legatosque illuc ordinat.

Talem porrò habuerunt Lubecenses molitionem, cum Stocholmensibus & Calmarnensibus natione Germanis, qualem cum Hafniensibus ac Malmogensibus. Quam nonnulli Germaniæ principes intelligentes, ipsam Regi Gustavo revelant, & XX. Martii, ipsius proditi authores, captiuntur, ac exquisitis deinde suppliciis necantur. Quorum potissimum fuit Andreas Johannius, Regis monetarius, qui cum III. aureorum Ungaricorum millibus non permitteretur vitam redimere, fertur ex præcelsa Stocholmiæ turri se præcipitem dedisse, collumque fregisse; Nihilominus tamen cum complicibus in palos & rotas postmodum actus fuerat. Quorum nonnulli scrupulo conscientiæ stimulati, M. Olao Petri suo concionatori, multò ante hanc in confessione denudarunt conspirationem, quam & ille M. Laurentio Andreæ prodidit, non Regi. Quamobrem uterque postea fuit morti adjudicatus, & ab illa plurimo auro liberatus. Ità hac de factione nostri sentiunt Scriptores, quibus in uno minimè consentio, scilicet, quod vero existimem similius, Andream quidem monetarium potius à Johanne Braschio, utpotè cuius in matrimonio habuit sororem, religionis ergo Catholicæ in Suecia conservandæ, quam à Lubecensibus ejusdem gratiâ extirpandæ, in Regis necem fuisse instigatum. Sicut etiam in alio, quod certus sciā, voluntario Andream non cecidisse lapsu, sed in carcere illum fuisse enectum, indeque, ubi demortui membra viri glires arroserant, sub dicto fictoque projectum prætextu.

Die parascheves, Admiralium destinat in Sueciam Rex Christianus, Petrum Schram, qui principio æstatis, cum X. actuariis & IV. onerariis; quarum tamē pecularis fuit cura Erico Fleming demandata, indè Oceanum ingreditur. In quo Danicam & Prutenicam simul nauctus classem, IX. Junii, hostilem aggreditur obviam, à Christophero, & quibusdam Vandaliæ urbibus emissam, quæ XXVI. navibus constabat; sed adversaria, XXXVII. Quæ propterea victrix evasit, illaque ad Oeresundum profugiente, hæc victoriam prosequitur; mare obvagatur; & non paucas hostium onerarias prædatur, donec à rege Christiano jussa sub Fioniam concedere, Lubecensium prohibitura incursionem, illuc festinaret.

Archipræsul interea Norvegiæ, Danorum acceptis literis, Ordines regni convocat Nidrosiam, festo Sanctissimæ Trinitatis, de Regis electio-ne illic consultatuos. Ast quidam Optimatum eò venire abnuentes, Aslogiæ quatriuo antè sollennia Pentecostes conveniunt, & principem Christianum eligunt, mandato Archiepiscopi contempto. Quibus propterea ille indignatus, & à Cæsarianis de Friderici assumptione compellatus, gravem in Norvegia commovit seditionem.

Comes Christopherus autem ex Fonia regem Christianum profligaturus, illuc copiosum expedit militem, Hojeni & Techlenburgensi Comitibus ipsum deducentibus, qui socio Gustavo Trollio, Ottoniensium nunc Episcopo, XI. Junii, hostibus congressi, superantur; trucidantur; militum MDCCC. captivantur; atque Trollius graviter sauciatus, Gortorium destinatur, ubi mortuus, Slesvici humatur. Sed Comites Ottoniæ sumptibus Regis Christiani tumulantur, quò ille secundum victoriam progressus, à plebecula Fioniæ Rex salutatur, jussuque ipsius classis in Oceano grassatur usque XVII. Julii, quando ejusdem mandato in conspectu Hafnienium jacit anchoras intrepida.

Illud Rex Christianus intelligens, cum terrestribus illic properat copiis, XXIX. Julii, Hafniam arctissimâ ligans obsidione, simulque Nyco-piam

piam Falstriæ, Aleholmium, Calenburgum & Varbergum. Etenim Trudo Ulfstandius Regi factus supplex, obtinet bina peditum vexilla & unam equitum alam, hisque suas adjungens, civitatem expugnat Varbergensem, XXIX. Septembris, arcem defendantem Meyero in sequentis anni æstatem. Sed in Augusto, ex castris sub Hafnia impreso confitat libello Rex Christianus articulos Lubecensium, quibus anno superiori publicatis, probare nitebantur se justam habere causam Danos impugnandi. Deinde pertransiit ille in Sconiam, ubi XVIII. Augsti, ab incolis hujus provinciæ rex appellatur, & cum Sueticarum copiarum ductoribus hilariter convivatur.

Quo tempore Fridericus Rheni Palatinus ipsi Norvegiam subducere machinatur; siquidem XXVI. hujus mensis die, suis, & Cæsaris ad Archiepiscopum expeditis literis, legatoque Georgio Brixiensium Episcopo, ipsum ad suas partes pertraxerat. Albertus quoque Megapolensium Princeps, quod veteri Regum Scondicorum oriundus esset profapiâ, ad Daniæ, Sueciæ ac Norvegiæ aspiravit fastigium. Quem idcirco Lubecenses mente Junio Hafniam induxerant, illi sceptrum, & Christophero pedum Roschildenis Ecclesiæ assignare cupientes. Unde gravis oritur discordia inter competitores, & tandem componitur, qui post cladem in Fonia acceptam, XIX. Junii, concordes edictum per Sielandiam promulgant, incitas animantes & hortantes mandantesque, ut sub vitæ ac bonorum amissione, se adventantibus opponerent hostibus, descensum in continentem illis prohibendo; ast suis nihil minis proficienes.

Ab isto dūm hoste Hafnia Sielandiæ vexatur, Stregnesia Sudermaniæ ab igne vastatur, XV. Junii, quo elegantissima SS. Eschilli & Georgii conflagrarunt facella, non urbis basilica, vel cœnوبium Dominicanum, aut Episcopium; quæ nonnullo tamen damno afficiuntur. Propinquaverò civitas Arosiensium fortunatior sibi videtur, quod Henricum patria Norvegum, ex prædicatorum ordine fugitivum, sit primum nacta Præfulem hoc anno Evangelicum, qui & religionis posteà Consiliarius designatur.

Nec minus se felicem reputavit Gustavus Olai Baro Vestrogothiæ, quod XXII. Julii, filia sibi esset genita Catharina, quam Rex tertiam suo deinceps thalamo uxorem fuit dignatus. Sed Hafnienses ex legato cognoscentes Gubernatricis Belgicæ, sibi opem à Cæsare liberalissimam brevi ferendam, militem, classem, aurumque illis per Fridericum transmissi, se beatissimos existimabant, & mox infaustissimos, quod modicas admidum suppetias inde acciperent.

Itaque rex Christianus has regi Gustavo machinationes Imperatoris, qui utriusque dominium Oceani affectabat, manifestatus, illi pro auxiliis gratias persoluturus, & adversus hostem communem plus subsidii postularus, ipsumque consulturus de Præfulibus Daniæ potentia & opulentia spoliandis, ex Scania cum paucis comitibus in Sueciam festinavit, illud iter Proceribus Daniæ nequicquam dissidentibus, atque multimoda discrimina suggerentibus.

Stockholmiam porrò Sueciæ regiam, IX. Septembris ingreditur, & permagno suscipitur amore ac honore, ipsoque ex turribus fulminantis & regalis amplexationis tempore, plures in cœlo apparuerunt soles. Deinde convivationibus, confabulationibus, & consultationibus aliquot transfiguntur dies, quando rex Christianus insignem denuò belli nervum ibi nactus, Vichiam & Varbergum Sueco in pignus assignavit, ac protantis se gratum præbiturus beneficiis, quælibet Sueco prædia, quæ in Hallandia possideret hæreditaria, & haec tenus aliquandiu jure nullo caruisset,

isset, resignavit, ille simul datis literis, sancte promittens, se regi Gustavo inconsulto, cum Lubecensibus non transacturum; atqui promissio deinceps non satisfaciens.

Alia quoque plurima, quandoquidem ab hospite flagitaret rex Gustavus, & ille recusaret, sibique propterea subtimaret, fertur ille pœnituisse hujus in Sueoniam profectionis, ac ipsi Stockholmia abituro dixisse Reginam affinem, quod feliciori uteretur tunc sidere, quam paucis ante diebus, quando secus de ipso deliberaretur; Ideoque regem Christianum inde abitum maturasse.

Verum hic moranti, suasim à rege Gustavo, memorant Historici Danorum; ut suo invitatus exemplo, Clerum Episcoposque Daniæ Catholicos, nonnihil in ordinem redigeret. Qui similiter insinuant Reginam Catharinam, post Regis Christiani abitum, ob prodita ipsi secreta, tantoperè à marito fuisse pulsatam, ut XXIII. Septembris, inde animam exhalaret. Sepulta vero fuit XXXI. Octobris Regina, primum in archiodæo Ecclesiæ Stocholmensium paroehialis, indeque post multum temporis Upsaliam translata. Cujus obitum mox suis deplorat Danus literis apud Suecum, oratque ut amicus perseveret, & XVIII. Octobris, generalem ex castris sub Hafnia argenti mutuò accepti destinaret sibi antipocham, ac pluribus indigens naviis ad prohibendum Lubecensibus accessum, Hafniam apportare commeatum desiderantibus, nuncio in Sueiam expedito, flagitat præterea aliquot biremes, & VIII. quantocyùs impetrat.

Verum hostes tantâ Novembri mense advenit potentia, ut violenter penetraret, subsidiaque obseßis adportaret; Qui octimestrem postea obſidionem tolerare haud difficulter potuerant. Classis denique Sueonum, sub Lanscronam IX. Octobris expugnatam, in hyberna concessit, & epibatarum ingens multitudo ad Christianum discessit, strenuam ipsi per brumam navans operam in Hafnia Malmogiaque impugnandis.

Auxilium quoque desiderans Rex Norvegorum, & machinationes formidans Carolinas, legatos illuc expedit, subjectionem incolis persuasuros. Quo Rex Gustavus tempore, cum morbo conflictatur periculoſo, & tamen ab illo Dei medicorumque ope liberatur.

Anno MDXXXVI. Legatos Dani constitutos Nidrosiæ, Præſul urbis Olaus, Palatini studiosus, captivat, & unum illorum Vincentium Lunge, genere doctrinaque insignem, quod anno priori principem Christianum Aslogiæ, paucis Noricorum ad se pertractis, Regem Norvegiæ, citra reliquorum Ordinum designasset assensum, & permisso Regis Frederici dirutis Bergæ quibusdam Ecclesiis, illic sibi magnificam fundasset habitationem, III. Januarii die, illum Christopherus Trunsonius Archiepiscopi mandato trucidat, haud curans quod Antistes pœnitens decreti, antè cædem illud mandatum revocasset. Deinde Olaus, regni potioribus, quos inter fuit Episcopus Hammarensis, ad partes suas perductis, terrestres ac navales per Norvegiam expedit cohortes, illam Palatino subjugaturus; Quæ à Bergensi Aslogenique repressæ Castellanis, negotio infecto remearunt.

Has verò insecurus Achershensis præfectus victor Ericus Gyllenstern Danus Nidrosiam, captivos liberat legatos superstites; Archipræſulum fruſtrâ impugnat, in propinquuo Ecclesiæ caſtro Stenvicensi munitissimo ſe viriliter defendantem; & regi Christiano mox literis significat, ipsum, non niſi Episcopis in ordinem redactis, Norvegiæ quiete fruſtum. Non pauci etiam indigenarum Olao cœperunt adverſari, quod Nicolao Lyche Dano, qui demortua fororem conjugis imprægnasset, coniveret, foveret, & præcipuum haberet confiliarium. Ideo & quod

submetueret Antistes, nè ad Regem Christianum protugeret Nicolaus, suaque proderet illi machinationes, fertur ipsum occulte stranguli curasse. Ita luit Nicolaus incestum & cædem Procerum Præfulumque Suetorum, quam, cum aliis ille Danis, anno MDXX. regi Christierno Tyranno scelerat persuaserat eisdem irrogandam.

Interim Comes Christopherus, ut sibi Daniae & Norvegiae obtingerent sceptræ, occulto ad Burgundiones legato Hafniâ expedito, Christianam regis Christierni filiam, & mortui nuper Principis Mediolanensis viduam, postulat conjugem, auxiliumque in Principem Christianum, promittens tanta Belgis apud Scondios privilegia, quanta desiderarent maxima. Sed neutrum obtinet, quod Cæsar & domus Burgundica, Friderico alteri genero regis Christierni, suppetias ad occupandos Sondiaæ thronos promisissent.

Is proinde à Norvegis, Lubecensibus, Hafniensibus & Malmogenibus, de adferendo quantocyùs subsidio iterum molestatus, copiosum in Belgio militem congregat, & Imperator invitat Saxonem Lantgraviumque ad ferendum ipsi auxilium, non principi Christiano, qui Daniam injuste affectaret. Verùm illi, quam justam haberet rex Christianus causam affectandi Daniam, & quam princeps Fridericus iniquam, quodque ille cum suis fautoribus in hoc incidisset bellum, propter navigationem per Oeresfundum, in gratiam Cæsareæ majestatis permissem Belgis, copiose demonstrantes, ferre opem principi Friderico recusarunt.

Ipsem quoque Rex Christianus suis non indormiit negotiis, qui adversarium etiam habens Antistitem Bremensem, quod Roschildensem à rege Christierno promissam non obtinuissest ille cathedram, nè hostium obrueretur multitudine, cum Bremensi sub initium Februarii transegit Episcopo, infulâ Roschildiæ non gavisuro. Postea terrestrem principis Friderici prohibiturus contra Danos irruptionem, junctis cum Geldriorum principe armis, occiduam invasit Frisiæ, & ex occupata firmataque illic munitione excurrens, crebras provinciæ intulit clades. Maritimam similiter aversurus incursionem, XXV. Martii, Sueticam Danicamque in Oceanum emisit classem hostibus formidabilem; quorum non pauca intercepit protinus navigia, cum commeatu Hafniensibus destinata, & in iis pariter literas Gubernatricis Burgundicæ, quibus subsidium Hafniæ polliceretur.

Unde Dux Albertus & Comes Christopherus illic obseSSI, rebus aliter suis prospecturi, quotquot ibi & Malmogiæ captivos habereNT Danorum Optimates, initio Februarii, destinarunt in Megapoliam, ut, si fortassis in hostium devenirent potestatem, cum his permutati, pristinam impetrarent libertatem.

Nihilominus tamen libellis per Daniam famosis undique sparsis, Proceres Sielandiæ, Fioniæ & Scaniæ, graviter accusant perfidiæ, quod pactis cum rege Christierno secumque crebro initis, non stetissent, sed ad principem Christianum defecissent. Lubecenses quoque, suis in Daniæ sectatoribus nullam vel seram ab Imperatore bellis distento Æthiopicis, aut Frederico Cæsareis eapropter subsidiis destituto, opem intelligentes ferendam, suau veteris Senatus modo restituti, novo belli authore deposito, sociarumque impulsu civitatum; prout etiam nervi penuria bellici vehementer compulsi, pacem cum Rege Christiano, Sueonum propter auxilia haud superabili, statuunt inire.

A qua nec ille alienus, quod Regem Gustavum ad ferenda sibi porrò subsidia minis paratum cognosceret, postulatam vel oblatam acceptat transactionem, suosque Hamburgum destinat Commissarios, ubi XIV. Februarii, pax utrinque concluditur his conditionibus: Lubecenses cum

sociis in Dania Norvegiaque, pristinis gauderent privilegiis; Hostibus regis Christiani nulla ferrent subsidia; Hafnienibus & Malmogensibus suaderent urbium deditioem, XV. millia aureorum à Dano percepturi, si ipsorum suasu intra sesquimestre illa contingeret. Sin verò ipsis obtemperare nollent, indè suas protinus copias revocarent; verum si obedirent, urbes dederent, his inclusi pactis, veniam gratiamque ipsi, & Dux Albertus Comesque Christopherus, rebellionis omnimodam consequerentur.

Hac fruerentur simul cum Danis & Lubecensibus transactione, potentissimus Sueonum Rex; illustrissimus princeps Borussorum, Albertus; Magister Ordinis Livonici; ac Dithmersi. Quas haberet Suecus controversias cum Lubecensibus; hæredibus Johannis ab Hoya Comitis; & Bernhardo à Mœllen, ipsas decisioni submitteret regis Christiani, alias nihil subsidii ab ipso contra præfatos habiturus adversarios. Denique Lubecenses Borenholmiā fruerentur L. annis ultra illud temporis spaciū, per quod eam ipsis insulam rex Fridericus quondam assignasset, propter latas ipsi suppétias contra regem Christiernum atque fautores.

Hujus vigore transactionis, protinus in Daniam à Lubecensibus expeditus Bernhardus à Mœllen, illam Hafnienibus & Malmogensibus insinuat, atque ut Regi Christiano sese dederent, frustra postulat. Ideoque Lubecensium exautorat ibi militem, quem Dux Comesque suscipiunt, ab Imperatore, Friderico, Belgisque subsidium expectantes, prout etiam à Rostochensibus & Vismariensibus, qui propter suum Hafniæ obseßum Principem, pactis nollent modò subscribere Hamburgensibus. Rex Gustavus verò hanc propter transactionem, regi Christiano vehementer succensuit, asseverans contra foedus & pactum Stocholmense, ipsum cum hoste communi se inconsulto transegisse minus honeste, suasque revocans ex Dania navales & terrestres cohortes.

Quo temporis intervallo Malmogenses permoti Lubecensium suaſione ac defectione, II. Aprilis die, civitatem Regi Christiano dediderunt, quam ille deinceps ingressus, cognoscit exercitum Sueciæ accinctum reditui, & missis cum ipso legatis ad Regem Gustavum, ob Hamburgensem se excusat transactionem, afferens ob temporis angustiam sibi non licuisse ipsum super illa consulere, tantaque nisi fuisset celeritate cum Lubecensibus transactum, ipsos dubio procul ad castra defecisse Palatini, & Suecis ac Danis simul multò intolerabiores ita evasisse.

Huic Suecus excusationi pro tempore simulans se quodammodo acquiescere, non difficii Danorum molitionem investigat conjecturâ, throno adhuc Sueciæ inhiantum, regnumque Vandalicis dénum armis concisum invadere machinantum. Hinc Rex Christianus alacrior factus, Malmogiam suo firmat præfidio, restauratâ illic acropoli præter civium voluntatem, & toto impugnat exercitu Hafniam. Nonnullas tamen habuit prætereà copias sub Varbergo, quarum robore compulsus Marcus Meyerus, vitæque pactus securitatem, arcem octiduo secundum solennia Pentecostes, illis pandidit; Et nihilominus posteà comprehensus, sub Helsingburgo supplicium adiit promeritum.

Hafnienses intereà foris ab hoste, & intùs tantâ propemodùm fame pressi, quantâ olim Hierosolymitani, à proprioque simul milite vexati, quotidie cruciati, spoliati, sauciati, atque plurimi illorum trucidati; nec ullum amplius subsidium à Friderico præstolantes, quem navium inopia in Belgio demoraretur, Regi Christiano spondent urbis deditioem, sub omnium condonatione offendarum; privilegiorum confirmatione; religio-

nis Evangelicæ libera usurpatione ; ac Ducis Comitisque secura dimissione. Quibus ille, XXIX. Julii, eā subscripsit conditione, quod Proceres Dani in Megapoliam captivi nuper abducti , in patriam quantocvū remitterentur , & Albertus Christopherusque supplices veniam deprecentur. Atque his utrinque consummatis & obsignatis, civitate castroque post annuam potitur Rex Christianus obsidionem , ac regno simul universo. Sed hujus initio mensis, scripto intra extraque regnum publicato , famosos hostium confutavit libellos , & perfidiam Christopheri ac tyrannidem luculenter demonstravit, simul quoque suam ad regni thronum legitimam probavit vocationem.

Cæterum principio mensis Augosti, Rex Christianus Hafniam ovans ingreditur, & sexto post die cum regni Consiliariis , Evangelicæ faventibus religioni, januas intra clausas secretò consultat de Præsulum captivatione, ac fundorum confiscatione Ecclesiasticorum, flagitatque Senatus præsentis assensum , & illo non ægrè impetrato , post octiduum VII. Catholicos Daniæ Antistites, hujus penitus ignaros infortunii, conjicit in vincula. Horum verò IV, nempe Georgius Frisius, Viburgensis ; Uffo Bildius Arhusiensis ; Ivarus Munchius, Ripensis ; & Stygo Krumpe, Borglamensis, Episcopalibus fuerant sacris initiati, Romæque approbati. Ast reliqui solum fuerant designati , videlicet, Joachimus Ronnovius, Roschildensis ; Canutus Gyllensternius, Ottoniensis ; ac Torbernus Bilde, Lundensis. Quibus accessit Olaus Munchius, adjutor à patruo in Ecclesia Ripensi deputatus, successorque in cathedra nominatus.

Captivatis itaque Præsulibus, amplissima illorum bona, mobilia & immobilia, regni fisco adscribuntur inferunturque, ac Rex Christianus coram regni Ordinibus facinus illud excusaturus, ipsos suis convocat literis Hafniam, ad XXIX. Octobris diem. Nec Episcoporum lugebant infortunium Evangelici, & præsertim horum antesignanus Ambrosius Hafniensis consul; cuius repentinus ac miserabilis interitus neque Catholicis fuit magnoperè luctuosus, quem ipsi, & nuperam Hafniensis calamitatem, justo Dei judicio, propter veteris abjurationem fidei, contigisse perhibebant.

Verum ante deditonem Hafniæ, Rex Christianus falso intelligens rume, Fridericum obseffis propediem cum grandi subsidio affuturum, opem flagitat navalem à Rege Gustavo, qui aëtutum suam ablegat classem versus Daniam. Sed in fretum delata Calmarnense, cognoscens Hafniâ Regem Christianum esse potum, remeat. Rex Gustavus porrò fortunam Regis Christiani habens suspectam, nè fortasse simul Hansaticis, Danicis ac Moscoviticis, impeteretur obruereturque armis, in Russiam legatis expeditis, cum Principe illius LX. annorum pacem firmavit, ac reliquos posteà hostes non magnoperè formidans, à bellis ad nuptias annum secundas convertit. Etenim Stockholmia, VI. Octobris, cum prænobili virgine Margareta, illustris viri Erici Abrahamsonii, Westrogothici Gubernatoris filia, quâ dignum fuerat solennitate, matrimonium consumavit. Ex quo deinceps thoro liberos X. illustrissimos suscepit, illorumque progenies serenissima, hac etiam tempestate gubernaculo Sueorum affidet gloriose. Duxerat autem potius Rex indigenam quam alienigenam, ut hujusmodi affinitate sibi Optimates regni arctius obstringeret. Quanquam isto connubio non paucos illorum magis primùm à semet alienarit, quod Margaretam Suantoni Sture desponsatam, sibi conjugem acceptaret. Deinde tamen, quam fuerit hoc conjugium soboli proficuum, suo cum emolumento unus liberorum D. Johannes in bello adversus Eri-  
cum, alienigenâ fratrem genitum, experiebatur.

His fuit nuptius captivatus Magnus Sommerus Stregnensum Episcopus, quod Lutheranæ recusaret amplius suffragari doctrinæ, & post octimestrem carceris squalorem, XXIV. Maji liberatus, in avita consenuit obiitque religione. Ipsi mox subrogatur Evangelicus M. Bothvidus Lincolnensium Canonicus, qui propter liberius quoddam responsum, gravissimam Regis posteà incurrebat indignationem. Namque affectanti Regi Gustavo palatum Episcopi lapideum Stregnesiæ, & interroganti, quo sacer codex capitulo Episcopis hujusmodi concederet domicilia? Respondit incautius: Eodem prorsus quo Regis decimarum permitteret Ecclesiasticarum usurpationem. Secundum sollennia verò nuptiarum, legatos ad Comitia transmisit Hafniensia, in quibus Rex Christianus renovat Danis privilegiorum immunitatumque roborationem; offensas omnibus condonat; Patriciis, ob vastata proximo bello sua domicilia graviter offensis, reconciliat plebeios, & amnestiam promulgat hos inter firmissimam.

Ita Ordinum favore potitus, XXX. Octobris, illis causas Præsulum exponit captivatorum, nimirum, quod propagationi dogmatis Evangelici ponerent jugiter obstaculum; Quod regiam prorogantes electionem, bello præberent occasionem, quo haec tenuis per triennium patria esset nimium dilacerata. Denique, quod amplioribus multò illi fruerentur annuis redditibus quam Respublica, Regem, propter inopiam rerum, ad tam crebras ac insuetas plebeculae contributiones imponendas, quodammodo impellerent. A quibus imposterū liberior esset futura; Evangelio gavisura; & conscientiæ libertate fruitura, si Antistitum talium nunquam restituendorum depositioni, bonorumque confiscationi, assentiretur.

Ideoque promptissima populi naetus suffragia, hujusmodi plebiscitum literis confirmatum impetrat, & paucò post tempore Antistites opibus spoliatos, authoritateque pristinâ nudatos, libertate donat, cuique præter bona hæreditaria, unum cœnobium proventibus gaudens, assignat in feudum. Quo illi citra religionis jacturam contenti ad mortem usque vixerunt, præter Joachimum Ronnovium, qui Regis factum execratus, & suam liberationem aliorum fore Præsulum restitutionem minatus, octenio variis divexatur carceribus, in quibus anno MDXLIV. Hafniæ constantem & Deo querentem efflavit animam.

Verum Norvegis isto Hafniæ conventu, non Ecclesiastica modò dignitas abrogata fuit, sed etiam Politica; Quandoquidem ipsis Dani aliquot à regnorum fœdere defectiones illic exprobrantes, & non considerantes vicissim iisdem largam à Daniæ Regibus pacta non servantibus conventa, causam deficiendi esse sæpenumerò præbitam, pervetustum illud regnum, & quondam florētissimum potentissimumque, titulo, & proprio spoliatum Senatu, in provinciam Daniæ perpetuo fore subjectam redigerint. Atque redeuntes inde quosdam Norvegiæ Optimates, dolo navibus clanculūm perforatis, ut quidam referunt scriptores, submerserint; Quando reor una Johannem Ref Aslogenfum periisse Antistitem.

Postea Danus oratores ad Mariam Belgii moderatricem alegat, huic inducias XXX. annorum, paucis ante annis Daniam Belgiumque inter sanctitas, in memoriam revocaturos, & illarum impetraturos restorationem. Qui promissis, de colloquio utrinque hac super re, propediem Hamburgi instituendo, acceptis, redierunt. Sed Sueonum ad præfata Hafniæ expediti comitia Legati, XXX. Novembris, fœdus restaurant cum Danis super mutuo in hostes ferendo tempore necessitatis subsidio; veteres quaslibet controversias, ad Indos & Garamantas migrare jubentes, præter illam Sueonum in Gothlandiam jurisdictionem, atque prætereuntes jus patriæ in ditionem Jemtiæ Sprengensem.

Ideoque Rex Gustavus his subscribere decretis diu fuit tergiversatus, ac licet demum illa roboraverit Rex Gustavus, & alia postmodum sæpius; Tamen quædam semper æmulatio, ac animorum tacita in utriusque hæsit pectore inflammatio, quæ sub filiis in lamentabile prorupit incendium, hinc præcipue subortum, quod Sueones Gothlandiam, Scaniam & Hallandiam, Blechingiamque, suo quondam argento compara-tas; Ast Dani Sueciam, sibi magno cum fœnore olim conjunctam, taci-ti affectarent, quibus aliæ deinceps causæ accesserunt. Hinc Thuanus Gallorum affirmat Historicus, simulatam & fucatam hos inter Scondianæ Reges viguisse semper amicitiam.

Anno MDXXXVII. Non immemor Rex Gustavus, quam immorige-ros & rebelles se præbuissent Smalandi, seu Gothis australes Sueciæ, per elapsum proximè triennii spaciū, quando bellum adversus regis Christierni promotores flagraret, qui dubio procul à profugis instigati Sueo-nibus, & à Danis animati quibusdam. Velut etiam, ob mutatam exasperati religionem pristinam, nimiumque à regiis onerati præfectis, nullam exhiberent regiis mandatis obedientiam, armis statuit ipsos per-domare.

Itaque mense Januario, mediocrem illuc transmisit exercitum, cum prænobili viro Holgero Caroli, regionis Nomophylace, & Johanne Thuanis, Sudermanniae Toparcha. Quorum territi adventu Smalandi, audita Regis citatione, ipsos accedunt supplices; suos audiunt excessus pa-tienter; veniam flagitant; obedientiam, & mulctarum promittunt impo-sitarum solutionem, gratiamque obtinent. Illorum tamen bini, Joñas Andreæ, & Nicolaus Dachius, magnæ authoritatis agricolæ, graviorum con-victi scelerum, ut fertur, quam quod veniâ & vitâ donari mererentur, morti adjudicantur; & illam nihilominis, amicorum intercessione, ac mulctæ grandis promissione, datis sponsoribus, evaserunt. Quæ cum rigidius ab illis extorqueretur, nec essent solvendo, Smalandos ad triennale Re-gi Gustavo bellum inferendum postea commoverunt.

Hujus verò Regis soror Margareta, & uxor Johannis ab Hoya Comi-tis relicta, post obitum mariti, à fratre in patriam cum liberis revocata, no-luit obtemperare. Sed Revaliam concessit, ubi extorris secundo hujus anni mense finem vitae imposuit, sobole illustri superstite; Ex priori quidem conjugio, Petro Brahe à Visingsburg Comite, & Birgitta consorte Birgeri a Vijnæ Baronis; Verum ex posteriori, Josepho atque Johanne ab Hoya Comitibus, quorum hic multa prædictus scientiâ & prudentiâ, Osnabrygen-fis deinceps evasit Antistes.

Porrò in Norvegia rebellio aliquantulum hoc tempore subsedit, quod Archipræiul regni Olaus, promissum non adeptus subsidium à Palati-no, arma deposuisset, qui propterea X. ante Pascha die Regi Christiano per literas eâ spondet conditione obedientiam atque subjectionem, si defectio-nis sibi crimen occisionisque vellet condonare, nec dignitate spoliare. Sed repulsam passus, & copiosum ex Dania illuc adventare compe-riens exercitum, castrum suo firmavit milite Stenvichianum, & opibus in IV. navium classem congestis, cum sectatoribus navigavit in Belgium, ut Palatinum quantocyüs in Norvegiam perduceret, illumque minus ad hanc paratum & animatum deprehendens expeditionem, dolore sen-sim contabuit, qui anno ipsum sequenti ad sepulchrum, Lyræ, perduxerat.

Danicarum porrò copiarum ductores mox in Norvegiam delati, ar-cem impugnant Stenvicensem, quam festo Christi in coelum remeantis, ad-ditione occupant, incolasque regni borealis subjugant; captum Hamma-riæ Præfulem in Daniam transmittunt, ubi quem sortitus exitum ignoro; vete-

veterem proscribunt religionem, Lutherano passim dogmate substituto; Et fundos, aliasque Episcoporum ac Ecclesiarum opes, regio adscribunt fisco. Quando M. Johannes Casius, Nidrosiae primus ordinatur Archisuperintendentens.

Alii Hamburgum interea expediti Proceres Danorum, cum Burgundionibus trimas pacisuntur inducias, prolixiores impetrare haud valentes. Oerebrogiæ in Suecia synodus eodem peragit tempore, in qua fuerat decretum, ut baptismus Stetice, non amplius latine, administraretur, & consultatum de ceremoniis, illi; visitationi captivorum ac infirmorum; inhumationi mortuorum; & sponsorum benedictioni, adhibendis. Hujus prouinde synodi mandato, protinus M. Olaus Petri Enchiridion concinnavit ceremoniarum, & typis publicavit, in quo exorcismum circa baptismum; extremam unctionem; chrismatis utrobius usurpationem; pro defunctis intercessionem, sed conditionalem; atque elevationem Eucharistie, censuit pro tempore quodammodo retinenda. Missale, ut vocant, Sueticum similiter edidit, in cuius proloquo probat sacris operandum in sermone vernaculo, ut populus intelligeret circumstans, & canonem Ecclesiæ Romanæ explodendum, quod sub Gregorio magno, à quodam foret scholastico annis CD. post tempora compilatus Apostolorum.

Verum Johannes Gothus extorris Suecorum Archipræsul, à Paulo III. ad Oecumenicum vocatus concilium Mantuæ celebrandum, illuc Dantisco festinavit, illoque propter Evangelicorum protestationes, & Turcarum excusiones, in tempus prorogato commodius, apud humanissimum Venetorum Patriarcham Quirinum interea pausavit, vicariam ipsi deferens operam in Episcopalibus subinde functionibus obeundis, & Historiam conscribens Suecorum.

Principes verò Protestantium, Lantgravius & Saxo, propter hujusmodi obstaculum concilio positum, aliaque quæ Imperatori faceverant negotia, ipsum formidantes, ad foedus secum pro religionis defensione pangendum, Scandiæ Reges invitarunt. Atqui Rex Gustavus magis sollicitus de fundis in Dania & Norvegia, ad quosdam Sueonum jure pertinentibus, nunc recuperandis, Regi Christiano frequens hoc super negotio promissum in memoriam revocat, qui colloquio Halmstadii, VIII. Septembris, hac de re controversa instituendo, tandem consenserat.

Postea Rex Christianus sceptris Daniæ ac Norvegiæ considerans se modò pacifice usurum, & nationes habere finitimas sibi amicas, suam promulgat inaugurationem, Hafniæ XII. Augusti peragendam, ac fidei novationem illo tempore ad fastigium perducturus, Johannem Bugenhagium Vitebergæ Superintendentem, in Daniam curat accersendum, ab illo, non aliquo Catholicorum Præsulum, desiderans pariter inaugurar. Quem inde suum lubenter expediens in Daniam Lutherus collegam, de tam laudabili proposito zeloque Regi magnoperè gratulatur, & ipsum impensè hortatur, ne cathedrales regnorum Ecclesias consuetis privaret redditibus, qui artium liberalium forent ornamenta condimentaque, quod summoperè subverendum esset, nè alias ingeniosa Danorum juventus, premiis hujusmodi subtractis, imposterū amaras studiorum radices hanc orbatas dulcedine, haud dignaretur libare, multò minus degustare, indeque horrenda scholas & Ecclesiam Daniæ invaderet barbaries.

Interim XII. Augusti dies illuxerat, quo principem Christianum & Dorothæam, Bugenhagius solenniter diademat redimivit, ac regio illevit balsamo, quod Antistites Catholicæ illo privati essent munere, frequenter id suggillabant. Inde autem XIV. die Bugenhagius, VII. primis Daniæ Superintendentibus, nempe Francisco Vormundo, Lundensi; Petro Pal-

Palladio, Roschildensi; Georgio Sadalino, Ottonensi; Matthiae Langio, Arhufiensis; Jacobo Sconingo, Viborgensi; Joanni Thomesonio, Borglomensi; & Johanni Vandalu, Ripensi, benedictionem impertivit. Quando fidi delatam à Rege infulam Slesvicensem noluit acceptare Bugenhaus, suo Vitebergæ officio contentus. Postea reformationi Hafniensium Academiæ, scholarum Ecclesiarumque Danicarum & Norvegicarum, integro insudavit quinquennio. Sed transacta Regis coronatione, actutum residuis in Dania monachis, cœnobia patriamque deserere mandatur, quorum plerique exilium potius quam dogma Lutheranum amplecti maluerunt.

Ità vaticinio Caroli Cæsar is respondit eventus, quod de principe Christiano præsagè olim protulit. Is siquidem in adolescentia, Joachimum Marchionem Brandenburgensem, avunculum, ad Imperatoris aulam comitatus, interfuit concioni, quam Bernardinorum quidam in Cæsar is præsentia habuit, illaque finitâ, dum in genua procumberet monachus, zonam seu chordam, quâ fuerat is præcinctus, per rimam suggesti forte propendentem, joco ità firmiter alligavit princeps Christianus, ut concionator absque Comitis nodum resolventis adminiculo, nequiret assurgere. Quocircà querelis illius Cæsar permotus, ludibrii authorem in palatio investigat, & principe Christiano deprehenso, arrisit inquiens: *Fortassis cognate monachorum quandoque futurus es ordini testis inenodabilis, ac pestis memorabilis!*

Bugenhaus autem, fidei ac ceremoniarum orditur Hafniæ, velut in regia Daniæ civitate, novationem, ubi dirutis Clementinâ occidentali portæ adjacente, quæ primum fuit urbis templum, & Franciscana, Ecclesiis, Mariana Nicolaitanaque parochiales constituuntur; Et hæc qui dem consequitur Pastorem M. Johannem Thausonium, illa M. Georgium Viborgensem. Sed Andreas quidam adipiscitur Ecclesiam S. Spiritus, ubi quotidianam urbis parochi, & in Mariana facellani, concionem deinceps fuerant habituri.

Rex Christianus etiam D. Lutheri haud contemnendam ratus admonitionem, Academiæ, scholis per regnum trivialibus, & Ecclesiarum presbyterio cathedralium, de necessaria providet sustentatione, idque propter causas à Luthero prolatas, & litium in causis matrimonialibus crebro decisionem. Cæterum prænobilis vir Haraldus Huitfeldius, in proloquo hitoriae Ecclesiasticae, asseverat unum in hoc novationis negotio, per Germaniam & Sondiam male neglectum fuisse, nimirum, quod harum incolæ Romani obedientiæ Pontificis modò subtracti, aliud sibi caput non elegerint protinus supremum, idque si fecissent, & illud in fidei controversiis consuluissent, non tam fœda inter Lutheranos essent Theologos siborta deinceps certamina.

Verum ad comitia redeat calamus Hafniensis, in quorum fine, secundum Hamburgense decretum, Sueonum & Lubecensium auscultat Rex Christianus velitationes, ac examinat, quo mercatores illi jure à Gustavo Rege XII. millia & CD. poscerent marcas Lubecanas, veteraque repeterent ab eodem privilegia, nec valens penitus controversiam decidere, triennales inter Suecos & Lubecenses concludit demum inducias. Inter Regem Gustavum vero, & Albertum Prussiæ Ducem, Gedanensesque, frustrâ conatur amicitiam restaurare, quod Suecus gravibus motus causis, hujus transactionis articulos sibi à Dano missos, approbare modò refusaret.

Hic etiam comparens Ericus Hojenium Comes, nomine liberorum fraternorum, à Rege Gustavo reposcit maternos illorum in Suecia fundos,

dos, & Viburgum Finlandiæ, Neoflottiamque, cum ditioribus subjectis. Cui responsum à legatis Sueonum, mortuo Comiti feudum illud Finlandiæ, hæreditario non concessum fuisse jure, propriaque eum culpâ, hujusmodi & aliis ad conjugem spectantibus privatum bonis; Nihilominus tamen, si ipsius liberi Sueciæ restituti, honestè se vellent gerere, singularem dubio procul Regis avunculi essent clementiam comprobaturi.

His verò transactis judiciis, inde remeant Sueones, per quos rex Christianus apud regem Gustavum fuit questus, quod Dani nimis gravarentur in Suecia vectigalibus, & Sueci nulla vellent in Norvegia sub Bohusio dependere; quodque prohibitum à rege Gustavo Gothis, merces Hollandiæ urbibus importare; vélut etiam hæreditarios quorundam nobilium Danicorum in Sueonia fundos, juxta statutum Malmogense, nec dum esse ipsis restitutos,

Principio Septembris, seni Sueticorum Procerum cum totidem Danicis congregati, non paucos quorundam Sueonum in Dania Norvegiaque fundos jure repetunt, & à Danis responso accepto, quod propter obligationem anno MCDXCIX. Regi Johanni à Suecis datam, & hujus postea transgressionem, sententiamque ideo Calmarnæ MDV. à Senatoribus Daniæ & Norvegiæ in primarios Sueonum prolatam, illos legitimè ad fiscum Daniæ devolutos fuisse, ac plerosque hodiernis eorum possessoriis regem Johannem illo tempore vendidisse, hasque ob causas veteribus in Sueonia hæredibus restitui nequaquam posse. Probabant verò Sueci, Regem Johannem, propter pacta conventa ab illo non servata, legitimè Suetico privatum fuisse imperio; ac proinde sententiam nullius extitisse valoris Calmarnensem. Præterea, si quidquam ea roboris obtineret, illud totum in transactione sub Stocholmia cum rege Christierno instituta anno MDXX, quando hujusmodi quaslibet condonabat offensas, sibi, parenti & avo, à Suecis quomodolibet illatas; horum prædia apud Danos vel Norvegos sita, actutum restituenda, sancte literis & juramentis spondebat; ac promissis itatim neglectis, insontes Sueonum Optimates bonis vitâque scelerate privabat, profecto amisisset; Et demum, si suis mariti fundis propter aliquod essent crimen spoliati, propria horum uxoris non forent bona simul auferenda, idque tamen cum acciderit, ea sine dubio esse resignanda. His propemodum convicti Dani, lege affirmant militari uxoris bona bona simul ablata, quo frivolo Sueones offensi responso, inferunt pari Danos jure suis in Suecia prædiis esse spoliandos, insignemque hanc esse Danorum erga Suecos ingratitudinem, quorum tantam in bello nupero forent experti benevolentiam. Quibus illi non nihil pernoti, vel potius Rex Christianus, Nicolao Petri à Kracherum duntaxat, amissos restituit postea fundos, quod Rex Gustavus pro illo peculiariter intercessisset.

Tempore Hafnienis & Halmstadiensis conventuum, fuerat Rex Gustavus arcis intentus Gripholmensis novæ fundationi, indeque profectum in Oelandiam, convenit Axelius Brahe Regis Christiani legatus, agens cum eo super certis mutuati suo Regi argenti terminis solvendi, fœnus offerens, & Regem Gustavum follenniter invitans ad fœdus Smalcaldicum.

Itaque XXVIII. Septembris, ex castro Borholmeni consentit quadrienni solutionis prorogationi, usuram interea nullam desiderans, & Smalcaldicæ assentit foederationi, pro religionis defensione, significans à Langravio Saxoneque nuper se ad eandem invitatum, & scire cupiens, quibus illi Rex Christianus vellet subscribere conditionibus. Deinde suggesterens in literis Dano de concilio Mantuæ propediem celebrando, asse-

rit summoperè necessarium esse, ut protestantes quantocius conyenirent de responso adversariis hac super re dando, ac unitis obliquantur viribus concilii hujus celebrationi. Denique præfatis Regis Christiani occurrit gravaminibus, demonstrans majus Danos in Suecia non solvere vectigal, quam alii alienigenæ mercatores ac indigenæ. Quoad alterum, quandò Ludofenses pertransirent negotiatores Bohusium, consueta pensuros vectigalia, sed rarius ibi commeaturos imposterum, propter novæ fundationem Ludosiaæ. Ad tertium & quartum quod attineret, negat se Gothis prohibuisse merces Varbergum & Halmstadium apportare; Verum ipsosmet à negotiatione cum his urbibus alienos, quòd illorum incolas bello proximo intensissimos experti essent hostes; simulque asseverat, non minus Suecos quam Danos, de prædiis hæreditariis sibi violenter sublatis conqueri, obsecrans ut finis tandem aliquando huic imponeretur controversiæ, quæ nupero Halmstadii colloquio, propter Danicorum contumaciam Commissariorum, haud potuerit terminari.

Post bimestre verò temporis spacium, transactioni cùm Lubecensibus institutæ subscriptis rex Gustavus, & Decembri mense, regi Christiano singulares agit gratias, ob illius studium huic impensum; Nihilominus suspectæ non fidens Dani amicitiæ, & præsertim, quòd non obscura denunciaret passim fama, ipsum Suecis bellum machinari, arma parat quam occultissimè. His autem Sueco gnaviter intento, uxor genuit Margareta Johannem Stegeburgi, XXI. Decembris die, post quartam nonnihil horam matutinam, qui deinceps capto fratre Erico, ad thronum Sueciæ Gothiæque transcenderat.

Anno MDXXXVIII. Ille animosus Gothiæ australis agricola, Jonas Andreæ, causis impulsus anni prioris initio productis, Regi Gustavo in ista regni provincia occœpit rebellare. Nam quibusdam stipatus commilitonibus, mense Januario, regios illic præfectos trucidavit, & propinquis refugium nemoribus captavit, ibique mandato Regis quæsusitus, profugit in Blechingiam. Hinc autem in Februario, aliquot iuorum comitum remisit in Sma-landiam, qui Thuronis Trollii à Berquara servitoribus occisis, incolas ditios invitant ad limitaneum cum Jona colloquium habendum; A quo tamen frequentando, fideli Thuroni opera fuerunt protinus avocati, & in pristino erga Regem obsequio confirmati.

Interim Caudius Bilde Castellanus Bohusensis, ex finitimis cognoscens Vestrogothis Suecum arma cudere, divulgat ipsum Daniam impugnaturum. Hoc itaque inopino percussus rumore rex Christianus, oblatum à Protestantibus fœdus constituit acceptare, & molitiones regis Gustavi exploraturus, nuncio ad ipsum destinato, suam Brunsvicum illi manifestat profectionem, oratque ut in absentia sua Daniam & Norvegiam sibi vellet habere commendas. Sed rex Gustavus hunc exploratorem non oratorem esse liquidò intelligens, ipsum quatuor detinet mensibus, & modò Danum magis suspectum habens, ingentes sub signis foveat interea temporis cohortes.

Rex Christianus proinde non expectato legati reditu, in Martio cum uxore Dorothea, quingentisque equitibus, Brunsvicum properat, ubi XII. ante Pascha die, cum fœderatis Germaniæ Principibus & civitatibus, hujusmodi pangit fœdus, novennio perduraturum: Hujus socii mutuis invicem commodis invigilabunt, de incommodis tempestivè admonentes; Conjunctim in Mantuano protestabuntur concilio, citra omnium assensum fœderatorum, nullis ibi articulis subscribendo; Si Rex Christianus mutatae religionis nomine, aliamve propter causam, fuerit à quocunque tandem impugnatus, reliqui fœderis socii tribus peditum millibus ipsi per tempus trimestre succurrerent, & XL aureorum millia submitterent, ac tantundem ille subsidii indigentibuslatus esset fœderatis. Nec propter Suecum duntaxat hoc adeò sollicitè

Danus

Danus affectaverat fœdus, sed etiam ob Cæsarem, quod inaudivisset se-  
questro Pontifice, ipsum Gallo propediem reconciliatum iri.

Brunsvico autem reversus Hamburgum, à civibus velut pater, pa-  
truus & avus, princeps illorum appellatur, indeque XI. post Pascha die,  
suis regi Gustavo insinuat literis, se nuper Brunsvici protestantium esse  
adscriptum federi, & quod in ipsius gratiam illic effecerit, ut Bern-  
hardo von Mœllen, nec Lubecæ imposterum, neque aliis ei suspectis li-  
ceret urbibus commorari, & amplius seditiones machinari.

Ast quām fuerit hoc verum, hinc non obscurè liquet, quod æstatis  
primordio, Jonas rebellium in Smalandia antesignanus, Lubecum pro-  
fectus, ibi cum Erico Hojensium Comite, præfato Bernhardo, Magno  
Scarenium Episcopo, & aliis ex Suecia proscriptis, civibusque Lube-  
censibus, de Rege Gustavo consultaverit impugnando. Atque hoc super  
negotio probè informatus, vestibus, pecuniis & armis donatus, in Ble-  
chingiam Jonas remeavit, quod resciens illius gubernator Axelius  
Ugrop, ipsum, ut fertur, frustrà indagat, qui armis solùm amissis, ho-  
stium evasit insidias. Rex Gustavus nihilominus verbis fidens regis  
Christiani, & nihil sibi pro tempore periculi ab illo impendere intelli-  
gens, militem exautorat, ac VII. Julii, tabellarium Dani remittit. Quo  
cum queritur de falsi rumoris authoribus, seque illum propter, quadri-  
mestres in militem grandi suo cum incommodo sumptus impendisse  
confitetur; Nihil Dano respondente, ac tabellionis remorationem diffi-  
mulante, quod nec dum sibi oportunum foret cum Sueco belligerare.

His, aliisque de causis, Ordinum fuit conventus Ottoniæ modo in-  
stitutus, in quo nova Ecclesiæ Danicæ ordinantia, per Johannem Bugen-  
hagium hactenius conscripta, promulgatur, & approbatur. Quando etiam  
Rex Gustavus, celebratis Nycopiæ comitiis, cum Optimatum quibusdam  
graviter expostulat, Ecclesiasticos sibi fundos, contra decretum Arosien-  
se, minus justè arrogantibus, constitutionesque illic propterea nonnullas  
fabricat. Atque tum temporis, famosus ille simûl Belga, Conradus  
Phy, in Sueciam penetravit, qui Regis postea Cancellarius & Consilia-  
rius infeliciter evaserat.

Interea Johannes Gothus, Perussiæ ob Mantuanum hærens concilium, illic ex pervertusto legum Gothicarum volumine, in Bibliotheca  
Franciscanorum indagato, membranaque bubulâ exarato, rogatu viri cuius-  
dam magnifici, unum interpretatur paragraphum, hodiernis Sueonum  
legibus omnino conformem. Unde aliundeque manifestum evadet, Go-  
thos ex Sueonia, non Belgio, ut somniat quidam Becanus, quondam esse  
progressos.

Johannes quoque Braschius exul Ostrogothiæ Antistes, ex Prussia  
modo ad memoratum similiter in Italiam festinans concilium, & usque  
Lendenense perveniens cœnobium Poloniæ, illic morbo lethali contracto,  
sub finem Julii è vivis deceffit, ac humo ibi requiescit. Singularis ille  
fuerat patronus cœnobitarum Vastenensium, quem Rex Gustavus non  
metuens amplius, hoc anno, ut istud quoque sensim inhabitatoribus  
evacuaret monasterium, monialium quasdam ad Munchalivense in  
Norvegia cœnobium, & monachorum nonnullos ad Lapponum jubet  
pergere conversionem. A residuis vero, propter levatos hujus anni  
proventus, CCC. marcas percipit tremissium. Non tamen super hoc,  
verùm illo, vehementer Antistita Vastenensis cum Rege per literas  
expostulat, ac ut suis liceret alumnis remanere, fideliter obsecrat. Atqui  
hujus etiam Ordinis Sijonense in Anglia claustrum, nunc penitus fuit  
desolatum, & solo forsitan æquatum.

Anno MDXXXIX. Regnum Sueciæ hactenus electitum, meditans Rex Gustavus sibi, filiis, & posteris suis hæreditarium efficere, Oerebrogiæ IV. Januarii, cum regni Consiliariis illo super negotio deliberat, & illorum consensum impetrat. Sed Jonas Smalandus, à regis Christierni sectatoribus instigatus, Gustavum liberosque Sueciæ throno exturbare machinatur. Itaque cùm regius præfectus unum illic agricolam, propter divenditos in Dania equos taurosque contra edictum, acceptis ab ipso fidejussoribus, ad respondentum in judicio huic criminis obligasset, is Jonæ instinctu aliis stipatis factiosis, binos Præfecti servitores publicos, in Martio occidit, Smalandorumque plurimi judicia provinciæ armati accedunt; latas ibi sententias contemnunt; minas jaçtant; tributa denegant; & templo quædam Lutheranum propter dogma expilant.

Nec illustrem virum Gustavum Olai à Torpa, & alios Optimatum illuc cùm regiis advenientes literis, magnopere curant, animati dubio procul fiduciâ, quam de Palatino propediem affuturo conceperant. Nam Fridericus suis in Suecia, Dania & Norvegia fautoribus tandem latus subsidium, XXXVI vexilla peditum, classemque non spernendam, in Hollandia sibi comparat. Sed epibatis argento & commeatu necessariis destitutus, peditumque cohortes terrestrem in Danos irruptionem facturas, intelligens ab Hamburgenibus aditu prohibitas, atque totam in armis Jutiam versari, hac cogitur expeditione modò supersedere, Smalandique propterea aliquandiu quievêre.

Islandi autem regii præfecti tyrannide non immerito exacerbati, graviter tumultuantur, & tyranno cum XI servitoribus trucidato, etiâ sedantur. Hujus accusatus seditionis Augmundus Scalholensium Episcopus se in foro insulæ magno, innocentem jurejurando probavit, & officio se abdicavit, propter devexam ætatem oculorumque debilitatem.

Nec ipsimet Scondiæ Reges Gustavus & Christianus, multum à tumultu abfueâ intestino, hicque, ut Suecum in amicitia contineret, fertur impulisse Lubecenses ad renovandam modò pristinam ipsi per legatum actionem. Prius tamen suo in Sueciâ expedito, variis se modis regi Gustavo insinuat, & quantum ipsius causa laboraverit Brunsvici, denuo commemorat. Quibus Suecus haud placatus, blanditiis per legatum hinc remissum, Danos ingratitudinis accusat, quod immemores tot beneficiorum sibi à Suecis exhibitorum, profugos ex Sueonia non ipsi met solùm contra regnum foedus humanissimè fovissent; Sed in Prussia etiam apud Albertum Christiani sororum, providissent illis refugium diversorumque securum. Postea vehementer exaggerat, quomodo militem ipsis ex Suecia missum subsidio, ad sua vexilla seduxissent; commatum Sueticæ promissum classi, non suppeditavissent; monetam illo bello vilipendissent Sueticam, Danicæ ac Germanicæ æquivalentem; Helsingburgi victoribus Suecis captum tradere noluissent Marcum Meyerum; Et quod rex Christianus cum Lubecensibus atque Imperatore, adversus datam Sueonibus fidem transgisset; aliasque refricat veteris odii cicatrices, ut indè capraret occasionem Danos impugnandi.

Quam rex Christianus molitionem regis Gustavi probè animadvertis, ut illi tempestivè obviaret, seque a criminibus purgaret objectis, novum Calmarniæ inter suos & Sueciæ Commissarios obtinet colloquium, in quo per suos gravaminibus respondet regis Gustavi, minus tamén sufficienter; Ideoque bellum indè formidantes, præsentes orant Sueciæ Proceres, ut reversi, alium à suo impetrarent Rege conveniunt, circa regnum limites posteâ frequentandum.

Denique in Septembri, Orator Lubecensium M. Sebastiañus Erfam,

in

in Sueciam instinctu Dani advenerat, quem Rex Gustavus in primis morbo prætenso ipse met audire noluit. Quamobrem à Senatorum non nullis auditus, obsecrat, nè summo ageret jure Sueonum Rex cum Lubecensibus, propter bellum Scondiæ ab illegitimo illorum Senatu, citra reliquorum culpam incolarum nuper illatum; vetera ipsis nomina persolveret; merces arresto detentas restitueret; pristinam illis negotiandi potestatem concederet; & antiqua roboraret privilegia, siveque spem fore indubiam confœderationis inter Sueones ac Lubecenses, & reliquas Vandaliæ civitates, arctissimæ, iisdem gavisuras in Suecia immunitibus.

Hujusmodi Lubecensium petitioni respondit primum Senatus, & posteà Calendis Octobris Rex ipse met, nimirum, quòd Lubecenses ex propria malitia & avaritia, dominandique libidine, bello nuper classicum canendo, semetipsos ideo consuetis in Sueonia privilegiis indignos reddiderint, quæ olim fraudulenter obtinuissent, & ad refundendum Suecis immensos huic bello sumptus, per triennium impensos, ita se obligaverint, hocque ubi fecerint, Regem ab honestis non alienum deprehenderent pacis conditionibus; Qui & privilegiis illorum subscripturus, citra tamen regni sui detrimentum.

Cum isto nuncius responso, XXVI. Octobris, Lubecum fuit remis-  
sus. Quando Rex Gustavus ex intervallo temporis ad Ecclesiastica re-  
versus negotia, tales per Evangelicos regni Superintendentes, curat  
Ordinatiam Ecclesiæ Suecanæ promulgari, qualem ferme D. Johannes  
Bugenhagius in Dania nuper divulgasset. Convictum quoque adulterii  
Johannem Stocholmensium concionatorem uxoratum, in vincula con-  
jicit, & ab urbis non paucas similes Ecclesiis divitias corradit, patriæ  
impensis fortassis defensioni, ac filiarum dotationi, quarum primogeni-  
ta nascitur VI. Junii Stocholmiæ Catharina. Isto similiter anno prodit  
Venetijs tabula Sueciæ Geographica per Olaum Gothum, ibi cum fra-  
tre Vicentini exordia concilii præstolantem.

Anno MDXL. In Comitiis Ordinum Sueticorum Oerebrogenibus, judicio sistuntur, Magister Laurentius Andreæ Upsalensium Archidiaco-  
nus, & M. Olaus Petri Stocholmensium Ecclesiastes, accusati que non  
manifestatae in Regem ante quinquennium Stocholmensis conjurationis;  
temerarii & quandoque nefarii in novationis Ecclesiasticae negotio, dati  
sæpenumerò mali consilii; atquè consultò falsatae nequiter Historiæ Sue-  
canæ. Horumque convicti criminum, & aliorum non paucorum, II.  
Januarii à regni Senatu, in quo una sedit Laurentius Olai germanus,  
Upsalensium Archisuperintendent, morti adjudicantur; Quam tamen  
Regis commiseratione multo auro placati, & amicorum intercessione,  
præsertimque Stocholmensium, qui aureos expenderant hujus nomine  
D, posteà evaserunt. Officio quoque suo restitutus fuit Olaus; Sed Lau-  
rentius Andreæ propriis vitam redimens divitiis, ipsis reliquum inops  
Stregnesiæ transegit & peregit. Sæpiusque antea memoratum propter  
crimen, idem, & Olaus, vehementer à Rege Gustavo pulsati fuerunt,  
Catholicis Sueciæ ideo exultantibus; miseros subsannantibus; ac propter  
mutatam & temeratam ab iis majorum religionem, hanc ipsos justo Dei  
judicio pœnam incurrisse passim vocerantibus.

Principio etiam hujus anni, quandoquidem trimæ Danos & Belgas  
inter ad finem properassent induciæ, per suos denuò posci Rex Chri-  
stianus legatos à Maria Belgii Gubernatrice, in præsentia Caroli Impe-  
ratoris, earundem per annos XXX. prorogationem, promittens se Bel-  
garum in Oresundio naves haud amplius detenturum, & solum annuas

imperat, colloquiumque his de controversiis interea Coloniæ instituendum; Quod tamen partium deinceps consensu, ad Ratisbonensia sequentis anni comitia fuit dilatum. Hujus verò contractus ignarus Lantgravius, XVIII. Januarii, Danum literis hortatur, ut dote filiabus regis Christierni numeratâ, omnino in gratiam cum Palatino viduaque Mediolanensi rediret, quod hujus prætextu Cæsar illarum avunculus Scondiæ insidiaretur, suam ipsi deferens operam in lite componenda. Quainobrem Rex gratiis illi relatis, quo controversia utrinque volveretur cardine, manifestat, operamque Lantgravii super ea flagitat decidenda. Quando Franciscus Lotharingiæ princeps, amplissimam ex Scondiâ quoque dotem expectans, Christinam sibi matrimonio jungit filiam regis Christierni, quæ Carolum illi enixa, Ducem Lotharingiæ; Rhenatam, Vilhelmo Bavaro; & Dorotheam, Erico Brunsvicensi, desponsatas maritis.

In Aprili, zelosus & bellicosus quidam Ostrogothiæ colonus, Laurentius Jonæ appellatus, à Smalandis forte, & Suecis exulantibus instigatus, atque ob religionis innovationem, regiorumque officialium rigidam plus æquo gubernationem, provocatus, Ostrogothis suadet rebellionem, & non paucis persuadet, illisque cinctus, regi Gustavo renunciat obedientiam; Lutheranos infestat, eorum, ac nobilium quorumlibet machinans interitum, & alterum Hunnorum se exercitum jaëtat educturum. Sed actutum cum complicibus à Rege captus, & membratim dissectus, rotis imponitur, corvis esca futurus, aliisque terrorem rebellionis suo infortunio & diro spectaculo incussurus. Cunctas verò tumultuandi occiones Rex in posterum omnino præcisurus, Ludosiaæ IX. Aprilis, in qualibet regni provincia, unum deputat ex Optimatibus conservatorem in ea religionis, quibusdam illi Assessoribus vel consultoribus ex Ordine Cleri assignatis; Quos vocat Ordinarios, non Episcopos; Seniores; Inquisitores; & Chorycæos, cum conservatore obligatos florentissimum procurare dogma Evangelicorum; extirpare Catholicorum; causas judicare, velut olim Episcopus, Ecclesiasticorum; Ex his delinquentes mulctare; Synodos celebrare; In iis gravamina Cleri, sicut articulos religionis, ordinantiumque disputando examinare. Talis autem conservator per Vestrogothiam, fuit illustris vir D. Gustavus Olsonius à Torpa constitutus.

Quo domestico Rex Gustavus tumultu defunctus, & externum formidans, pro belli nervo fortassis gerendi, reliquum auri atque argenti ex Ecclesiis Ostrogothiæ, Sudrogothiæ ac Vestrogothiæ, per Georgium Normannum & M. Henricum religionis Consiliarios, cumulavit. Quo tempore Johannes Gothus in Venetorum commorans Patriarchatu, & Historiam illic Sueonum concinnans, ipsi III. Junii die imposuit cophonem.

Similes porrò doctrinâ viros insignes Rex Gustavus in patria sibi provisurus, Upsalensem instaurat Academiam, quæ haëtenus XX. prope modum annis fuisset desolata. Suæ etiäm familiæ renovat exornatque nonnihil insignia, cui VI. Novembris, altera nascitur filia Catharina.

Verùm Rex Christianus Islands ad obedientiam reducturus, & dogma illic Lutheri propagaturus, in æstate Christopherum eò Huitfeldum milite stipatum expedivit. Qui insulam ingressus, novum fidelitatis juramentum ab incolis extorquet; Lutheranam ipsis fidem inculcat; hujus Ordinantium promulgat; Evangelicum deputat iis Superintendenter nomine Gisserum, Vitebergæ religione eruditioneque mediocriter imbutum, & Augmundum Præfulem Catholicum, rediens secum in Daniam abduxit captivum. Islandi ergò hujus captivitate ac fidei novitate plurimum offensi, Regi Christiano per Huitfeldum rescribunt, sibi articulo

los fidei innovatos, ceremoniasque nuper esse obtrusas; Sed jure nullo, cum Pontificis foret Romani, non Regis Dani, avitae inducere variationem doctrinæ.

Postea rex Christianus magis sollicitus de rege Gustavo sibi reconciliando, XX Octobris Calmarniam expeditis legatis, spondet se prope diem mutuò datam soluturum pecuniam, videlicet XXX. millia DCCCCXCVII. Thaleros, urgetque, ut suam non gravaretur Suecus jurisdictionem in Gotlandiam, & ditionem Jemtiae Sprengensem, spectatæ fidei arbitris submittere decidendam, ac obtinet tandem illius consensum super colloquio, his de rebus octiduo ante Pentecosten, circa regnorum limites instituendo. Atqui sub hujus anni finem, regi Gustavo mutuum persolvit rex Christianus, pignore, nimirum Varbergo, Bohusio & Vichiâ, recuperatis.

Anno MDXLI mense Aprili, Oratores regis Christiani, in Ratisbonensibus apparentes comitiis, Regis sui voluntatem insinuant, cum regis Christierni generis, convenienti uxoribus illorum dote promissâ, transigere cupientis; ut etiam Hollandis, ob detentas in Oeresundio naves, dama compensare volentis, obsecrando, ut vicissim Belgii Gubernatrix, sanctæ per annos XXX pacis Daniam Belgiumque inter transgressioni satisfaceret, & totidem annorum inducias denuo constitueret. Sed quinemestres solum impetrant, quod Cæsar interea, bello cum Turcis composto, sorori liberationem, & Palatini Lotharingique ad thronos Scondiæ moliretur promotionem, ac Catholicæ ibidem restitutionem religionis.

Itaque Danus subverens, ne simul à Cæsare & Rege Gustavo posteà impugnaretur, cum hoc quantocius statuit sibi transigendum, ac tempore colloquii appropinquante, suis ad illud missis legatis mandat, ut pacem omni procurarent conatu, ipsemque Malmogiam cum mediocri subsequitur exercitu, & Rex Gustavus post suorum abitum Commissariorum, non minori stipatus navigat Calmarniam. Idque faciunt Reges hoc consilio, ut quisque suis ad Bremsebro in colliminio congregatis, propior adesset. Primo autem congressu, intelligunt non obscure Dani, Suecos ad bellum magis quam pacem animatos, quod affirmarent se nullum super ineunda concordia habere aliud mandatum, quam si Rex Christianus pristinâ cuperet frui amicitiâ Regis Gustavi, DCCC. millia aureorum, Daniæ ab hostibus vindicatae per ipsum impensa, solveret; Gotlandiam Sueciæ insulam restitueret; suos Sueci fundos in Dania & Norvegia fitos, actutum reciperent; sententia super his Calmarniæ anno MDV. minus æquè prolata, vigore spoliaretur.

Itaque cum his subtristes Malmogiam reversi Danorum legati conditionibus, Regi Christiano significant Suecos sago non togâ indutos, ille que propterea adversariorum dexteris gladium elicitor, XXX Junii amicissimis Regem Gustavum compellat literis, afferens quoad gravamina, cum Lubecense bellum non minus effet Sueciæ quam Daniæ periculum, Suecum citra spem aliquam sumptus bellici sibi ex Dania persolvendi, ad resistendum hosti communi obligatum quoque fuisse. Deinde Gotlandiæ restitutionem sibi minime licitam affirmat, propter suum patriæ præstitum juramentum, quodque diu admodum illa Daniæ auscultaverit; ut neque fundos reddere Suecis præfatos sibi integrum esse, quos moderni possessores emissent, & IV. Regum tempore posseissent. Hanc tamèn, Gotlandiæque causam, legitimis submittere arbitris definiendam, non recusare; Et proinde obsecrare, ut alteri XX Julii Procerum colloquio Rotnebygiæ habendo, assentiri non gravaretur.

Illi autem impetrato, suis eò abituriis Proceribus inter alia suggerit,  
illud

illud non incommodum pacis esse adminiculum, ut suo peteretur filio sponsa Regis Gustavi filia, & filio ipsius nata desponderetur Ducis Prusifici Erico. Ubi tamen postea Rotnebygiam esset perventum, & legati Suecum reddere non possent contentum, orabant ut Rex Gustavus his de rebus ipsem cum Rege Christiano colloqueretur, illoque non recusante, XV. Septembris dies hujusmodi Regum conventui assignatur.

Porrò antequam Danus huc proficeretur, inaudivit Gallum Cæsari denuò infestum esse, propter Ducatum illi denegatum Mediolanensem, & propterea Franciscum à fœdere in hostem pangendo communem, non alienum fore arbitratus, Suecique nimios animos illud simul infracturum ratus, XII. Septembris, suos in Franciam hoc super negotio expedit Oratores.

Ipsem cum Rege Gustavo congressus, post diuturnum colloquium juxta pontem Bremsebro habitum, aliud ab illo fœdus & L. annorum pacem inter Sueciam, Daniam, Norvegię, obtinuit. Primariæ hujus contractus fuerunt conditiones, quod mutuum sibi ferrent in hostes subsidium; Alter sine consensu alterius cum illis haud transigeret; Uterque transactioni includeretur; Veterum controversiarum nè mentio quidem amplius fieret, præter jurisdictionis Regis Gustavi in Gotlandiam, & quam sibi vendicaret Rex Christianus in Sueciam; quæ tamen præfato conquiescerent tempore; Et pacti hujus prævaricator C. millibus aureorum multaretur. Simili propemodum lege, XXIX. Novemb. fœdus cum Francisco decennale jecerat Rex Christianus, proque illius conservatione in Dania continuum habuit ille legatum, in primis Christopherum Richerium, & postea Carolum Danzæum,

Nec Cæsariani suis indormiunt rebus, quos inter Sueci extorres, crebris in patriam literis transmissis, plebeculam ad rebellandum Regi Gustavo vehementer instigarunt, & præsertim Magnus Scarenium Praeful, qui propè Rostochium in cœnobio delitescens Brigittino, Smalandos ad illius profligationem, & Palatini aut Megapolensis inductionem, continuò stimulavit. Neque Johannes Gothus, licet in Italia moraretur, hujusmodi supersedit molitionibus; Qui propterea Romam à Pontifice amanter accersitus, in Xenodochio de Saxia diversorium consequitur, & aureos XV. menstruos à Collegio Patrum purpuratorum, ac totidem promisit, & nunquam transmisit Archiflamen Romanus; Esculenta tamen & poculenta ex memorato assignavit Xenodochio. Indeque Gothus ob salubriorem migravit auram, in palatium ab Archangelo nuncupatum Michaële; Ast vitam utrobique æquè traducens inopem, & de rerum penuria coram Pontifice frustra sæpenumerò conquerens, pœnitensque suæ in urbem profectionis.

Romam quoque versus annis superioribus, Catholicus Lundensium Praeful Torbernum Bilde, V. aureorum millia pro redimendo illic pallio destinaverat, quæ Augustâ Vindelicorum in Daniam relata, Regi Christiano donavit Presbyterium Lundense. Illumque summopere execratur Gotchovius Rantzou Slesvicensium Antistes, & nihilominus officio non fuit privatus, qui hoc anno morte occumbens, successorem consequitur Evangelicum, Thilemannum Husenum Clivensem. Ripensis etiam Superintendens M. Johannes Vandalus, mundo valedixit, ipsique M. Johannes Thausonius subrogatur. Novus denique Islandorum Superintendens Gisserus, uxore ductâ, idem Clero difficulter Catholico persuasit, ut etiam Lutherani admissionem dogmatis, quod plurimi Islandorum & Gronlandorum, non acceptarunt.

Anno M.DXLII. ineunte, vel priori exeunte, postquam induciæ quin-

quinquemestres effluxissent, Ratisbonæ Danos & Belgas inter constitutæ, partium consensu novus Bremæ conventus hac de controversia habetur. In quo cum Dani XXX. aut XX. vel X. poscerent annorum inducias, & Burgundiones solum annuas concederent, adversarios postmodum invasuri, hasque Dani recusarent, infestis inde animis disceditur. Itaque Rex Christianus hostem æquo contumaciorem, ad justam compilurus transactionem, in Oeresundio Belgarum detinet navigia; Qui tamen hinc magis laceffitus ad bellum, Danorum in Belgio similiter onerarias occupat. Sed Hamburgensisibus sequestris, arma utrinque paulisper seponunt, & Calendis Maijs in civitate Transfusalaniæ Campensi denuo conveniunt. Ubi neque potuit lis componi, quod Dani non cum Belgis solum, ast etiam omnibus Cæsari subjectis nationibus, cuperent simili pacisci, metuentes, nè alias post transactionem cum Belgis, ille nihilominus ex reliquis Daniam regionibus suis impugnet; atque Commissariis Burgundicis non suæ illud potestati permisum afferentibus, bellum mox recruduit.

Neque hanc Fridericus Palatinus negligendam ratus occasionem, aliquid Scondiæ regnum occupandi, cum Danorum, Noricorum & Sueonum quibusdam, suos propter religionem execrantibus Reges, secretas habet molitiones. A quibus anteà Nicolaus Dachius, qui Jonæ apud Smalandos Polemarcha subrogaretur, instigatus, totâ hâc hyeme provinciam oberrat; Incolas ad rebellionem sollicitat, exaggerans religionis avitæ mutationem; Cœnobiorum eversionem; Ecclesiarum expilationem; Episcoporum proscriptionem; Missæ abrogationem; Insuetas contributiones; Privilegiorum conculcationem; & regiorum officialium inclemantium; Cæsaris & Palatini deprædicat virtutes; sibi ab illis aliisque ferenda propediem subsidia commemorat; ac demum his Smalandorum impetrat consensum.

Illorum proinde centum stipatus, tempore veris, regios Smalandiæ præfectos trucidavit, & alios Regi Gustavo fideles, horumque opibus onustus, in Blechingiam secessit, spolia divisurus, & Regis investigationi se paulisper subducturus, pluresque sibi attracturus commilitones. Atque cum Dachiani securum in Blechingia Daniæ provincia haberent semper refugium, multique Blechingorum diu impiùne Dachii militiam essent sectati, plurimis se Rex Christianus reddidit suspectum tacitæ cum Dachio conspirationis.

Hujus non ignarus etiam Rex Gustavus, dissimulat, & à Gallorum in Dania legato commorante, bellumque suo Regi ab Imperatore inferendum pertimescente, invitatus, fœderis societatem non recusat, quod eundem non minus formidaret hostem, aliosque internos & externos; potissimum tamen machinatione Palatini, ac rebellione provocatus Smalandorum, in Junio suos destinat legatos in Galliam, illustrem virum Stenonem Eri- cium levirum; Conradum Phy Cancellarium; & M. Georgium Normanum, generalem Sueciæ Superintendenter.

Quandò Ferdinandus Bohemiæ Rex, misso in Sueciam Bomgardero, contra Turcas Pannoniam occupantes, petit auxilium, & propter civiles in regno tumultus, litesque Regis cum Cæsare, nullum obtinet. Tum temporis etiam Rex Gustavus Calmarniæ cum Oratoribus Vandalicarum urbium locutus, aliquantulas fortassis pacificatur cum illis inducias.

Verum XI. Julii, cum Francisco Gallorum Rege hujusmodi pangit fœdus, quod illi subsidium requirenti, primâ vice cum VI. millibus armatorum suppetias latus eslet, & secundâ majoribus indigenti, cum XXV. millibus hominum, & L. navium classe; tantundem auxilii vicissim ab illo in necessitate consecuturus. Huic vero includunt fœderationi, Daniæ & Scotiæ Reges, Prussiæ ac Geldriæ Principes, liberamque inter Suecos & Gallos statuunt negotiationem.

Nicolaus Dachius Smalandiæ agricola, nequaquam istâ perterritus colligatione; aſt ſuâ cum Megapolensi Duce; Senatu Lubecensi; Comite Hojenſi; Johanne Gothro, Archipræſule Upsalensi; Magno Scarenſi; Bernhardo à Mœllen; Friderico Quæſtore; M. Olao Brems; Johanne Bibliopego; & Gautone Norvego, Palatino adhærentibus, fīſus magis conſpiratione, Julio mense, iterum in Austrogothia graſſatur, & Regis ſectatores populatur, atque cum manubīis non paucis remeat in Blechingiam Daniæ provinciam.

Hujus interea fautores in Oceano graſſantur Burgundiones, qui Claudium Huitfeldium à Rege Christiano expeditum in Norvegiam, ut reliquum argenteæ ſupelleſtilis, ibi ex Ecclesiis corraderet, inque Daniam transmitteret, captivant, & arctæ mancipant Enchufi custodiæ, anno exindè transacto liberatum. Sed iſto Ripæ Johannes Bugenhagius, in Epifcopum consecrat Thauſonium, ubi præſentes reliqui Daniæ Superintendentes, auctæ ſubſcribunt ordinantiæ.

Postea D. Bugenhagius Vitebergam inde navigat, probè nummatus, multis in ſinu Baltico tempeſtatibus jactatus, ad littusque Vandaliæ incolmis tandem delatus, fertur dixiſſe: *Tu meum Dania habeas Evangelion, ego nummos tuos, Vale.*

Is Vitebergam reverſus D. Johanni Machabæo, natione Scoto, profectionem ſimiliter in Daniam haud diſſiculter persuafit, qui Theologiæ Professor in Academia evaſit deinceps Hafniensi.

Plerique Islandorum in dioceſi Scalholtenſi, abrogatione Miſſæ, & veterum ceremoniarum, conjugioque ſacerdotum quorundam ſum-moperè offensi, iis conſuetos abnuunt proventus. Quarè Giferus unus illorum, de immorigeris conqueſtus apud Regem Christianum, ipsius obtinet diploma, incolis mandans, concionatoribus Evangelicis pristinas conferre ſportulas, & regiam comminans vindictam reluſtantibus.

Sed in Holensem diocesin, dogmatis reformationi necdum patuit accessus, vehementer illi obluſtante Jonā Areſonio, Catholio regionis Præſule. In Dania verò ipsa, gravis denuò Viburgi actio instituitur, aduersus Canutum Gyllenſternium, Ottoniensem quondam Epifcopum, quod antedcennium, publicâ fide regem Christiernum in Norvegia dona-viſſet, & deinceps nihilominus captivandum ſuafiſſet, ob quod perfidiæ à nationibus paſſim exteris Dani accusarentur. Verū hanc Epifcopus culpam non diſſiculter à ſemet protelavit, affirmans & demonſtrans illam regiæ non fuſſe contrariam instructioni transactionem, & regem Chriſtiernum pactis non ſtando, æquifimam ſuæ cauſam præbuiffe captivationi. His non regis Christierni defensoribus, ſed Regi Christiano ſatisfactum eſt; Qui contemptis huiusmodi oblocutoribus, filium procurat Fridericum ab Ordinibus Daniæ hac ſibi aëſtate ſuccellorem in throno nominari.

In Auguſto autem Danus à Gallo Cæſarem impugnaturo, de auxiliariibus ipſi quantocius copiis, foederis jure transmittendis, ſollicitatus, D. illi equites destinavit. Verū Suecus filii Magni, XXV. Julii dieprōgnati, hoc tempore intentus fuit iuſtrationi; Smalandorumque, tertio tumultuantium, profligati.

Etenim, ut hunc paulo exordiar altius tumultum, Dachius X. millia Smalandorum ſub signis habens, illa Vexioniæ XXI. Julii, pro conſuetudine militari luftraverat. Quod intelligens Gustavus Olai, archiſtrategus ibi regius, cum CD. ſolum armatis ſtatuit hostem illic invadere. Sed cognoscens tantam eſſe rebellium frequentiam, nec audens propterea illis congredi, cum ipſis inducias paciſcitur, exindè ad follennia Sanctorum omnium, ita duraturas, ut arma interim deponerent; neminem occi-

occiderent; nullius opes diriperent; & consueta solverent tributa.

Post abitum Olai, Dachius non fidens induciis, & sciens plurimos Sueonum addictos Suantoni, Stenonis quondam Suetici Gubernatoris filio, Stegeburgensi Castellano, ut plerosque indigenarum ad cœptam pertraheret rebellionem, Regemque Gustavum omnino expelleret, Suantoni per literas significat, Smalandos ipsum pro ductore suo adversus Regem, ac regni moderatore paratos suscipere, dummodo illis vetera confirmare vellit privilegia, ac eam revocare religionem, quam sui velut sanctam coluissent majores, subitumque flagitat responsum.

Atqui repulsam passus, aliis hortatur literis Suecos patriâ extorres, ut Palatino suaderent profectionem huc maturandam, & interea Dachius animum non despondens, mense Augusto, in vitam & bona regiorum sectatorum crudeliter desæviit, quos inter Arvidus Trolle, in proprio cæditur hæredio Berquarense. Trucidato etiā postea Nydalensi Præfecto, cœnobium occupavit, ibique multò pluribus Smalandorum ad se convo-catis, pleraque relaxat iisdem tributa, ut ipsos haberet sibi obsequentiores. Ubi simul fuit deliberatum & approbatum, ut Ostrogothos Smalandi ad suam pertraherent militiam, illucque idcirco Dachius actutum aliquot expedit cohortes, quarum fuit ductor Magnus Hane.

Is mense Octobri Ostrogothiam ingressus, sua detrectantes castra sequi, ferro flammaque prosequitur, quem rebus suis minus invigilantem regius miles invadens, non paucis commilitonum cæsis, profligat, Qui tamen residuis stipatus Smalandis, & nonnullis Ostrogothorum, animose reliquum provinciæ oberrat, donec hoste prævalente, in Smalandiam remeare cogeretur; quando XXXV. suorum desideravit sociorum.

Interea cognovit Palatinus seditionem Smalandorum, & eorundem petitionem, ac ideo Cæsar is implorat opem sibi multoties promissam, Imperatorisque obtinet literas, XXIII. Octobris, Barcelonæ conscriptas, quibus significat, se Nicolaum Perenotum à Granvella dominum, suum consultorem & oratorem ablegasse, ut quædam magni momenti tractaret negotia cum Sueonibus, obsecrans, ut ipsi fidem haberent, sive illa præ-sens sive absens, per literas vel nuncium, iis ille insinuaret.

Dachius porro hanc ignorans Cæsar is legationem, cum hactenus illi, Palatino, Regi Christiano, & Suantoni, obsequia Smalandorum in Suecia occupanda detulisset, ac nihil subsidii obtinuisse, timeretque Regis Gustavi potentiam, & suorum insolentiam, mense Novembri, acceptâ fide publicâ, obsidibusque, in Sletteboda Ostrogothiæ cum regiis transfigit Commissariis, spondens Regi nomine Smalandorum obedientiam, & census annuos, ac promissum vicissim accipiens, super amplissimi feudi collatione, rebellionisque condonatione.

Hinc regressus Wexioniam, Smalandis ibi congregatis manifestat festo D. Catharinæ transactionem, & plerisque quod sæpius essent delusi, pacto non fidentibus, mandat pro tributis arma comparare; manibus erectis sibi fidelitatem jurare; regium confirmationis diploma expectare; Si displiceret, bellum renovare; vetatque interim prædia nobilium spoliare.

Exulantes Sueci nullum vel serum ab Imperatore cum Gallis belligerante, subsidium Smalandis in causa Palatini ferendum considerantes, suadent quidam illorum, & præcipue Magnus Scarensum Antistes, Alberto Magnipolensem Principi, velut de prisca Sueticorum Regum progenie oriundo, ut ille thronum Sueoniæ affectaret, literasque ad Nicolaum Dachium hac de re quantocius destinaret. Itaque Albertus immemor sui apud Danos infortunii, & se potiori jure, quam vel rex Gustavus, aut rex Christianus, aut Palatinus, vel Suantus, ad Sueticum

aspirare gubernaculum, sub brumæ initium, literis hortatur Dachium, tabellario in Smalandiam missio Johanne Plog, cive Rostochensi, ut se regem salutaret, & belli nervum gerendi non modicum sibi destinaret, illoque impetrato, & milite comparato, se mox ipsi affaturum.

Sed antè hujus adventum tabellionis, XXX Novembris, subdole confirmat suo Rex Gustavus diplomate, transactionem Slettebodensem, & Dachium ad se invitat, fide publicâ gavisurum, ut cum ipso coram super feudi collatione, & commilitonum deliberaret provifione. Nec Dachium fraus latuit, qui etiam secundis invitatus literis, respondit, si vellet se Rex sub honoris regii amissione, ad standum pactis obligare; tum & ipse positis armis, fidus suæ Majestati effet futurus; In Smalandia tamen remansurus, & feudis gavisurus. Simul etiam ad capitaneos regiarum copiarum perscribens, firmiores securitatis literas postulat, & tantum in Smalandia feudum, quantum C. sufficeret equitibus alendis, hostiles in provinciam incursiones Regis nomine prohibiturus. Atque simul confitens totius Smalandiæ se vasallum à Cæsare constitutum iri, modò Palatini vellet partibus adhærere, afferit se Regi Gustavo malle fidelem persistere, si mediocre conferret beneficium.

In Decembri tabellio ipsum accedens Megapolensis, diu cum illo colloquitur, & hinc Dachius persuasus, suam ac Smalandorum pollicetur operam Alberto, si priscam vellet interemeratam linquere Sueonibus religionem, & plurimum signati secum argenti Smalandis adferre, quos ita mayortios experturus effet viros nec exteris desideraturus. Cum isto Johannes responsus, & literis Dachii publicis, in quibus ipse Laurentium Johannis se appellat, per Daniam regressus, in ea captivatur atque mactatur, velut hostilis explorator.

Illi verò nesciens infortunium Dachius, & Alberti confidens promissis, rebellionem instaurat; tributa Regi Gustavo solvere prohibet; illa per suos levat præfectos; plurima horum condonat; & arma jubet incolas corrumpere. Hunc novum Dachii tumultum demirans Germundus Suenonis, regius Calmarniæ Castellanus, ipsum vocat ad colloquitum, quod ille armatis mille stipatus intrepidè accessit, deque causa novæ rebellionis interrogatus, atque à quonam effet ad illam animatus, asseveravit, se fraudibus Regis Gustavi non fidere, & ab Imperatore, vel D. Alberto, sub veris primordia indubium expectare auxilium. Sed tamen à Germundo & comitibus persuasus, ut Regi Gustavo potius obediret, spondet illi subjectionem.

Verum inde digressus, continuat nihilominus rebellionem, & in Oelandiam profectus, prohibet incolis pendere Regi tributa, mercibusque illic direptis Calmarnensem, in Moringiam regressus, expedit Petrum Spennare cum DCCC. armatis ad obsidendum Calmarniam. Quibus occurringens Germundus, ipsos in fugam avertit, XXX illorum occisis, quorum capita palis imposuit. Postridè autem Dachius toto urbem exercitu obsederat, & tamen denuò erumpens Germundus, hostes inde profligavit, C. illorum trucidatis.

Rex Christianus denique Smalandiæ spectator factionis, & forsitan instigator, belli nervum comparatus, defensivè aut offensivè gerendi, in comitiis Hafniæ, VIII. Decembris die, à Nobili Danorum Ordine insolitam extorquet contributionem. Atqui mense Novembri, generalem exercitus Danici peragens lustrationem, tum mandat Nobilibus, ut pluribus solito stipati servitoribus, hac solum vice militare non gravarentur, suis promittens literis, quod deinceps neque hoc neque isto vellet illos onere amplius molestare.

Anno MDXLIII. Sunderbogensis Smalandiæ populus à Dachianis infestatus, collatâ illis pecunia, cædes & incendia non patitur. Proinde Rex

Rex Gustavus nullam amplius superesse spem de rebellium emendatione animadvertis, expedito in Smalandiam exercitu, mandat incolas obtruncare, antequam promissas ex Germania obtinerent suppicias. Qui regio obtemperans mandato, nulli parcit ætati, imbellies, fenes, fæminas & pueros interimit. Hincque Dachiani magis inflammati, frequentiores concurrunt & crebras quotidie clades hosti ex insidiis inferunt, accipiuntque.

Deinde progressus ultrâ in provinciam Dachius, regiis prohibiturus copiis transitum, unito illam obsidet exercitu, & adventantes alacriter impetrant telis adversarios. Qui victoriam haud tamen incruentam demum retulerunt, Dachio graviter vulnerato, ac reliquo illius agmine fugato, alibique locorum protinus congregato. Victores iter prosequentes, Dachii tribunum capiunt, aliosque V. sectatores, & in foro judicatos Sunderbogensi, illic suppicio afficiunt. Quædam parochiæ ad regios deficiunt, & post illorum abitum ad Dachium redeunt; Qui ex nupero sive prælio clâm ad chirurgum delatus, istaque hyeme curatus.

Interim Smalandi suo destituti Polemarchâ, ut plurimum favores Suenum, & sectatores assequerentur, Svantonem Sture, cum nollet sponte ipsum violenter ad munus illud suscipiendum impellere decreverunt. Itaque cognito regii militis ex Ostrogothia reditu, mense Februario, II. millia & D. Smalandi, ductum sequentes Erici Petri, eandem invadunt, tenduntque Stegeburgum versus.

Svanto arcis Castellanus occurrit adventantibus, & conflictu cum ipsis inito, cognoscit hostium D. occultè prætergressos, ut sibi redditum ad arcem præcluderent, & signis conversis, remeat penetratque difficulter per insidiosas Smalandorum cohortes; Quæ reliquis iterum conjunctæ, tergo fugientis inhærent, & Suantonem in castro obsident. Verum non satis potentiae se considerantes habere ad impugnandum arcem, & regias cohortes obseffis forsitan subsidio venturas ad profligandum, aliquot pedum turmis emissis, Sudermannos vocant in auxilium. Quarum intelligens Suanto absentiam, & nè frequentiores redirent subverens, binas facit eruptiones in hostem præsentem, & quidem alterâ vice in ipsum primò tormenta explosit plumbeis glandibus onerata, ac deinde irruens, non parvam Smalandis cladem intulit.

Sed interea socium agmen, auxiliaribus non impetratis copiis, quod Sudermannij Johannis Thuronii Nycopensium Castellani propediem adventuri, formidarent vindictam, revertitur, & Suantoni redditum denuo prohibere nititur; Jmmò fugâ trepidâ in castrum se quantocius recipientem, equis & tormentis amissis, ita pertinax pugnaxque hostis è vestigio insequitur, ut simul propemodum in arcem irruisset.

Postea Suanto rebus suis diffidens, & subsidii Nycopiâ venturi non gnarus; cuius tamen hostis fuerat conscius, cum ipso de menstruis agit induciis, & illas obtinet. Quando Smalandorum Capitaneus, acceptis obsidiibus, collocutus cum Suantone, & postulatam noctus gratiam Regis, literaque Castellani, hanc, & securitatem ipsi publicam pollicentes, omnia Dachii consilia detegit, ac populo redditum se perswasurum spondet. Qui propterea consilio Erici protinus dilabitur, & remanentes solum CL. armatos, actuum Johannes Thuronius superveniens, profligat; obseffos liberat; atque visâ Suantos inepistolâ, Ericum destinat Regi captivum.

Isto autem subsidio animatus Suanto, cum ipso Smalandos persecuitur, & tormentis equisque recuperatis, Smalandiam ingreditur, ubi vicinas duntaxat parochias ad Regis Gustavi revocat obedientiam. Quæ veniam consecutæ, promittunt rebellionis proditum iri antesignanos; & datam mox fidem deserunt. Cæterum Nicolaus Perenotus, suæ non immemor instructionis, cum ipsem Smalandos accedere non posset, No-

rimbergâ V. Martii die, Cæsar is ad illos & suas alegat literas cum binis tabellionibus, significans Smalandis intentionem Imperatoris, de promovendo regis Christierni genero Friderico ad solium Sueciæ regium, & gratulans ipsis rebellionem Regi Gustavo, velut illegitimo illorum domino, hortansque ad Palatini electionem, responso postulato.

Propriis simùl literis hoc super negotio Smalandos compellat competitor, eadem ipsis inculcans; rebellionem condonans motam; Gustavi causam vehementer elevans; illius regimen exagitans; Ecclesiastica & politica ipsis privilegia promittens roboranda; vetus ipsis dogma fidei permittendum jurans; Et quam primum suæ consentirent electioni, opem illis à Cæsare liberalem asseverans, submittendam. Admonet insuper nuncios cum his expeditos literis, ut hac de re consulerent Albertum & Henricum Principes Megapolensium; Christopherum Comitem Oldenburghensem; Bremensem ac Scarensem Episcopos; Magistrum crucigerorum in Livonia; Lubecenses; Gedanenses; & alias Vandaliæ civitates; atque exiles Sueciæ, M. Olaum Brems; Fridericum Quæstorem; & Johannem Bibliopégum, horumque consilium & auxilium flagitando.

Sed præfati suam omnes denegant Palatino operam, præter Megapolenses & Suecos exulantes; præsertimque illam abnuntiunt urbes Vandaliæ, afferentes cum Rege Gustavo se inducias nuper pepigisse, ipsisque exactis, pacem inituras cum illo stabilem. Ipsi tamen Cæsari, velut imperio subiectæ, si Scondiam vellet interea impugnare, opem ferre haud renuentes.

Hæc in Germania contigerunt; In Suecia autem, IX. ejusdem mensis die, mortem oppetiit M. Georgius Thuronus, quondam Upsalensis Ecclesiæ Præpositus, qui annis XV. à sua de vinculis liberatione, privatam egerat hactenus vitam in hæredio Biornö, publicam recusans functionem, nè dogma cogeretur amplecti Lutheranum.

Quo similiter zelo motus Doctor Johanes Magni Ostrogothorum Antistes, & suasu impulsus M. Thoreri, Evangelicos acerrimè impugnantis, cathedram resignat sponte Lincopensem, ipsamque mandato Regis M. Claudius Huit aliquandiu occupavit. Is anteà fuit monachus professione Dominicanus & natione Danus, neque minus quam M. Thorerus, Lutheranis adversatus Calmarniæ, Lutherisque ipsi congressurus, in habitu Vitebergam monastico, paucos ante annos proficiscebatur, ubi post aliquot privata & publica colloquia à Lutherò superatus, cucullum abjectit, Sueciam repetit, atque ut religione, sic & matrimonio, par fieret D. Martino, Ingeburgem de contuberno virginum Seheningensium, duxerat uxorem. De quorum unica prole, illaque mirabili, quoddam in Archivo regni fragmentum, nonnulla commemorat paradoxa; Quodque Claudius cathedræ Lincensis vicarius, inde Sudercopiam translatus, illic parochus evaserit, & demum ibi mortem obierit. Sed M. Olaus Petri, Evangelicorum in Suecia parastates, regia defunctus indignatione, circa Paschæ follennitatem, suggesto restituitur Stocholmensi.

Hactenus Nicolaus Dachius ex vulnere, ut dixi, curatus, ut Ostrogothos omnino haberet commilitones, mense Aprili, ad ipsos expedit virum audacem & pugnacem, nomine Petrum Schegge, plurimis comitatum Smalandis, qui primum in villa profligatus Vigstenensi, & postmodum sub nemore Holvegeni, re infectâ, festinat ad Dachium. Dux Albertus verò Megapolensis, quod progenies esset Regum Scondicorum, & sua atque Palatini conjux forent amitinæ, regionemque Scondiæ aliquam certus inde expectaret, Dachio lubens opem adferre voluit. Ac proinde nactus Friderici literas, Magnum induxit Episcopum, ad scribendum un-

secum

secum Smalandis, & in Regem Gustavum magnopere invehendum, suggerendumque rebellibus, quod subsidia propediem inde consecuturi forent.

Cum his porrò literis, quibus Imperatoris, Palatini, Perenoti, & quoddam horum diploma, quo nobilitatis insignia Dachio atque amplissimum feudum conferebantur, fuerant inclusa, transmittitur per Oceanum, quod tulit Johannes Bibliopegus, Sueonum unus exulantium, qui captus sub boreali Oelandiæ promontorio, ad Regemque perductus Gustavum, exquisitis necatur tormentis. Quod ignorans D. Albertus tabellionis infortunium, Friderico interea rescripsit, de toto belli suscipiendi negotio; Et Palatinus de milite quantociùs destinando rogatus, X. vexilla peditum æstatis initio Bremam expedivit, ut inde, vel Suerino, in Sueciam cum aliis cohortibus transmitterentur.

Quo tempore Conradus Sueciæ Cancellarius, ex Gallia reversus in Vandaliam, hanc Friderici & Alberti cognoscit molitionem, hujusque in Sueciam impediturus expeditionem, nomine sui Regis VIII. peditum turmas extemplo collegit, & DCC. accepit equites à Rege Christiano; Istisque infestatus copiis D. Albertus, Luneburgum profugit, & ibi delituit aliquandiu, Sueciæ derelinquens impugnationem.

Simul etiam Danus navalem ex Belgio Friderici expeditionem demoraturus, XXVI. navium classem in occiduum ablegat Oceanum, quæ Palatini comprehendit tabellarios, per Norvegiam cum ipsius literis in Sueciam ituros, & rebellibus de subsidio mox affuturo significaturos, instigaturosque ad impugnandum alacriter Regem Gustavum. Quibus in Daniæ mulctatis, destinat Rex Christianus Sueco literas hostium, & navale obsecrat in eosdem subsidium. Atqui Rex Gustavus se magis auxilio indigere Dani, propter belli incendium domestici, opem ab eo flagitat, & nonnullum mutuò argentum, quod protinus obtinet, non militares statim suppicias.

Nihilominus Rex Gustavus suo aggressus Smalandos exercitu, multos illorum ad obedientiam revocat; non paucos profligat; & primarios captivat nonnullos, quos inter fuit Olaus Dachii patruus, in crucem deinceps actus, & filius Nicolai Dachii puer decennis, peste mortuus postmodum in carcere Stocholmensi. Itaque Smalandorum reliquos cœpit rebellionis pœnitere, præsertim promissa non adepti a Friderico & D. Alberto auxilia; Et factionem Dachio imputantes, eum perduellionis, homicidi, scortationis, aliorumque accusant criminum, ad necemque investigant.

Unde non securus apud suos commilitones, multò minus hostes, in tota grassantes Smalandia, ad desertum profugit Blechingiæ; Ac quidam Petrus illius consiliarius potissimus, & Secretarius, veniâ rebellionis impetrata, copiis se conjungit regiis, atque promittit se Dachitum inquisitorum, vivumque aut mortuum ex Blechingia reducturum. Pro domandis quoque his rebellibus, in Gallia & Germania per suum congregavit Cancellarium Rex Gustavus copiosum militem, cuius fuerant ductores, Otto D. Lunenburgensis, & Johannes Solmsensium Comes.

Attamen Conradi hoc tempore in Sueciam redeuntis haud gratus erat adventus, quod præter necessitatem Regi plurimum æris alieni hâc conflasset legatione, & enndem arrogantissima offendisset impudenter responsione. Quocircà perpetuis adjudicatur carceribus homuncio ille superbissimus, in quibus Arosiæ demum morbo exhaustus pediculari, animam efflavit.

Interim V. Julii die, miles ab illo conductus in Sueciam appulit, illoque non indigens pro tempore Rex Gustavus, numerato ipsi salario, ratione fœderis, eum transmisit in Galliam. Deinde Stocholmiam advenit

nit Princeps Lunenburgenis, quem etiam bellè tractatum ac donatum Suecū remiserat. Verūm IX. Augusti, sublicius Ludosiensium corruit pons, & LX. homines ab illo oppressi ac submersi fuerunt. Eodem similiter mense, Dachius in Blechingia investigatus, & trucidatus, Calmarniam deportatur, ubi caput cuprā redimitum coronā, præcelso quercus truncō imponitur, & reliquum corpus rotis in circuitu collocaatur. Hunc tribuunt exitum Nicolao Dachio veteres quidam scriptores; Sed recentiores afferunt, alium loco Dachii itā mactatum, & ipsum profugisse Dachium ad suos in Germaniam consortes, ibique ad regimen usque Regis Johannis permanisse, & illo reversum tempore in Smalandiam, à pristina proditum fuisse concubina, Stockholmiamque transmissum, & illic æneo redimitum aliquandiu diademate, per urbem incessisse; in nosocomio liberalem habuisse sustentationem, ac demūm circa annum MDLXXX. pestis obiisse contagione.

Verūm Principes Germaniæ protestantes, intellectā Cæsarī de Gallo victoriā, suis plurimum rebus diffidebant. Ideoque per legatum in Daniam expeditum, magnopere Regem Christianum orabant, ut Regem Gustavum induceret ad subscribendum fœderi simūl Smalcaldico, adversus Imperatorem & Catholicorum reliquos inito. Quare Danus suo ad Regem Gustavum Oratore transmisso, illorum insinuat petitio nem, Suecumque vehementer instigat ad fœderis hujusmodi societatem. Simul etiam suadet, ut cum Duce Prusorum, Gedanensibus & Lubecensibus, amicitiam restauraret, & se offert sequestrum, quod aliās subverendum esset, nē hostibus accederent.

Præterea obsecrat, ut classem Sueticam unā cum Daniā, in occidentalem emitteret Oceanum, hostiles in Scondiam incursions prohibitūram. Et denique significat, Smalandis se scripsisse, quod Rex Gustavus intercessione permotus Danorum, illis suam promisisset gratiam, ac veterum confirmationem privilegiorum, dummodò fideles ipsi postmodūm perseverare vellent; ac eos obedientiæ seriò admonuisse, prout ex literis intellecturus esset, quas illi destinaret, ut iis si opus uteretur. Quandò pariter, vel post paululum temporis, petitas transmittit Sueco copias Danus auxiliares, nimirūm equites CC. & DCCC pedites; Ast sera nimium subsidia.

Fœderatio tamen cum protestantibus Regi Gustavo placuit, illamque complexus, suos protinus legatos ad Saxonem atque Lantgravium expeditivit. Quibus siquidem esset mandatum, ut super illa prius cum Dano consultarent, & ad præmissos darent ipsi responsum articulos, eum in primis accesserunt. Ubi deliberatione absolutā, porrò significant Regem Sueciæ non alienum ab honesta cum Prusso, Lubecensibus & Gedanensibus transactione; Sed nullam pro tempore classem emittere posse, quod nec dum esset domesticum penitus incendium extinctum, & Moschus ruptis turpiter induciis, Finlandiam denuò infestaret. Literas quoque Regis Christiani ad Smalandos, velut modò haud necessarias, simūl remissas, & exercitum pariter auxiliarem, commemorant; Quandoquidem antesignanus rebellium esset trucidatus, & propriis Rex Gustavus viribus, superstites valeret factionis primipilos suppressione. Id solum obsecrare, ut Dachii consortes Blechingiam inhabitantes, simul mulctarentur. In quos itaque factā inquisitione, illorum ternos curavit Danus mactari, licet multò plures fuissent, Dachii illic sectatores, indeque magis se Rex Christianus hujus reddidit suspectum factionis.

Verūm Suecus, captis sequenti mense non paucis Dachianorum primariis bellatoribus, haud illis pepercit, quos initio Octobris, vario sup pliiorum genere necavit, sicque Smalandorum rebellionem quodammodo

dò sedavit; Magis tamen arte quam marte, juxta quorundam sententiam Historicorum. Rex Christianus verò Cæfarem & Belgas, ad honestam cum Danis transactionem compulsurus faciendam, quaslibet illorum detinet in Oeresfundio naves, mercesque amplissimas, & publico demonstrat scripto, quanta passus esset ab illis per octennium detimenta, & quoties frustra hanc cum ipsis controversiam transigere laboravisset, adeo ut summa cum impelleret necessitas, ad hujusmodi descendere pacis adminicula. Cumque XL navium propterea classem Danus Oceano immisisset, Anglus illo non viso libello promulgato, metuens ne hosti suo Gallorum Regi, ea vellet opitulari, literis hac de re Regem Christianum compellat, & memoratas intelligens causas, acquiescit.

Atqui tanto navalí apparatu, classe tempestatibus fœdè jactatâ & quaſſatâ, nihil Danus effecerat. Quandò Dux Clivensis, potentia Cæſaris adactus, à fœdere cum Rege Gustavo. & Rege Christiano, Rege que Francisco, nuper pacto, defecerat. Denique Septembri mense, lis Danum & Pomeranum inter de priscis ex Rugia proventibus, ad Röſchilensem quondam Episcopum pertinentibus, sic decisa fuit, quod illos Ruginiani Daniæ Regibus imposterū forent persoluturi.

Anno MDXLIV. In Ordinum Arosiæ conventu, Gustavus rex crebram quibusdam Sueonum exprobrat rebellionem, & illam propter regio se abdicat officio; Quod tamen protinus, ipsis stabilem ac inviolabilem promittentibus obedientiam fidelitatemque, lubens resumit. Deinde thronum Sueciæ suis filiis & progeniei provisurus, sua in patriam merita luculenter exaggerat, obsecratque ut habito illorum respectu, pro hæreditariis suam propaginem masculam agnoscerent Regibus; decreto subscriberent, ante quinquennium Oerebrogiæ à Consiliariis regni hac de re fabricato robatoque, & literis ac juramentis modo idem promitterent, hoc pacto regiam fibi familiam immortali obstringentes beneficio, & plurima patriæ detimenta avertentes, quæ suo propemodum cum interitu prioribus sustinuerint seculis in Regum designatione.

Quâ Sueones oratione persuasi, XIII. Januarii votis consentiunt regiis, unanimi statuentes approbatione, ut Ericus primogenitus, secundum ultima parentis fata, sceptrum Sueciæ hæreditario caperet jure, illique mortuo filius itidem natu major succederet ipsis. Sin vero nullum linqueret, ad secundogenitum ejusdem fratrem, vel illo non, aut filio superstite, ad tertio genitum, regalis devolveretur dignitas; Atque hoc reliqui ordine modoque Regis Gustavi filii & posteri, extinctis prioribus succederent, donec nullus illorum aut contribulum superesset. Quo demum casu regia electio ad Senatum recideret, qui Ordinum consensu, indigenam ex illustriori Optimatum Suetorum prosapia, Regem designaret, & superstibus Regis Gustavi filiabus, neptibus, proneptibus abstinentibus, atneptibus atque trineptibus, dotem affignaret honorificam.

Quamobrem hujus vigore constitutionis, mox circa horam ejusdem diei XI. sub claro fudoque cœlo, in area cœnobii Ericus undennis parenti hæreditarius in solio promulgatur successor, & quando coram Ordinibus Ecclesiam protinus ingressis doxalogium decantatur, gravissima foris intonat tempeſtas, ac iris in cœlo apparet portentosa. Quæ profecto ostenta, illam portenderunt calamitatem, quam sub nonnullis Regis Gustavi posteris, Sueones deinceps sustinuerunt, eamque simil felicitatem, quam sub reliquis hactenus Gustaidum habuerunt.

Postea Rex Gustavus Arosiæ à profanis ad sacra conversus, se cum Ordinibus gravissimo obstringit jurejurando, quod Evangelicæ mordicus adhæsurus esset doctrinæ; ipsam totis viribus defensurus; nullam in regno

aliam passurus. Ideoque abrogantur iterum Divorum invocatio; votiva peregrinatio; aquæ lustralis; luminum; salis; thuris, in Ecclesiis usurpatio; pro defunctis oratio & oblatio; sacrorum frequentatio conviviorum; sicut etiam crucifixorum demolitio; aliorumque sculptilium & imaginum devastatio; Gazophylaciorum ex templis exturbatio, mandantur; ac denique funerum antequam domo exportarentur, & cœmertiis inferrentur, consueta benedictio antiquatur. Simul etiam hic promulgatur, ut decimæ persolverentur; juventus literis imbuenda, ad scholas mitteretur; ipsi pristinam agricolæ largirentur eleemosynam; adulteri & fornicarii, virgis primum cæsi, à Præposito absolverentur; beneficæ flammis absumerentur; Et non permanentes in Ecclesia, donec officia essent Divina absoluta, diris voverentur.

Finitis Arosiæ comitiis, Laurentius Upsalensis Archisuperintendentens domum reversus, istud gnavoriter statutum exequitur, & in primis ad vicinam profectus Suinegardiam, illam XXIII. Januarii demolitur ibi statuam Christi ex cruce pendentis, ad quam peregrinorum ingens quotannis ex Scondia fiebat permultis hactenus annis concursus, & Upsaliæ deinceps palam exurit; Quòd dum in rheda transvehetur, nec per cancellatas ob viarum sepium portas, ob protensa esset brachia, deportabilis, unum illi Sacellanus Archisuperintendentis detruncavit; nec multum progressus, antequam ille met carpento delapsus, idem in suo corpore brachium ita luxaret, ut pristinum hujus usum non amplius recuperaret. Admiranda judicia vulgi prolata modo sunt, de quadam principis Johannis visione, qui, dum hoc anno per Sueciam alibi quoque regionum, hujusmodi subruerentur statuæ, puer in gynecæo lusitans, quædam conspicit crucifixi figuram sibi per fenestram vultu admodum torvo appropinquare, illaque propemodum exanimatus apparitione, ad maternum cucurrerat amplexum, vociferans, & reginæ Margaretæ visionem, interrogatus, manifestans.

Arosiensium tempore comitorum, Eurepe regio Finlandiæ à Moschis infestatur Noteburgensibus, & XXII. Martii, luctatur Johannes Gothus Sueciæ quondam Archipræfus, cum mortis violentia, ab illaque superatus, moritur Romæ, anno ætatis LVII, exilii XIX, ac mansionis in urbe III, in qua basilica sepelitur Vaticana honorifice. Prius verò quam in morbum incideret lethalem, scilicet faucium inflammationem, abitum inde meditabatur in Poloniæ, reliquum vitæ transacturus Posnaniæ, ubi Olao fratri, Canonicum Sigismundus Rex beneficium contulisset, quod se impetraturum sperabat, quamvis Sebastianus plurimum reluctaretur peregrinis Episcopus.

Sed Hafniæ Joachimum Ronnovium Roschildensem mors abripuit Episcopum, anno captivitatis VIII, in qua reliquis diutius Præfulibus ideo fuerat detentus, quod dixisset principio suæ captivationis, si liberaretur, vincetos se liberaturum alios regni Antistites. Ac proinde Rex Christianus sibi metuens, insontem hactenus detinuit in carcere Præfulem, nunc denique ipsum libertati restituturus, ob cognatorum amicorumque intercessionem, & quod ipsem paratus esset literis spondere subjectionem. Slesvici autem Episcopæ constituitur administrator Fridericus frater Regis Christiani, qui postea etiam Hildeshemensem consequitur cathedram. Is propterea fortassis in divisione bonorum paternorum, mobilium & immobilium, quam Rex Christianus hoc anno cum reliquis instituit fratribus, Johanne atque Adolpho, fuerat neglectus; Quem tamen promiserant se deinceps contentum reddituros.

Verum modò Regi reconciliati Christiano Dithmersi, fœdus deserunt, quod adversus ipsum cum Palatino & Lotharingo pepergissent. His porro tres in Smalandia viri primarii, adhuc constanter adhaerentes, initio æstatis, ad Principem fugiunt Megapolensem, ab illo ad Fridericum postea

postea forsitan abituri, opemque flagitaturi. Itaque contra horum, aliorumque hostium machinationes, Rex Gustavus potissimas regni arcis magis muniturus, profundâ circumdat fossâ Stocholmensium acropolim, præcipuamque in ipsa turrim, a tribus Sueciæ coronis appellatam, multò reddit fortiorem, atque celsiorem; Castrum simul Calmarnense, limitaneum regni propugnaculum, vallo confirmat fortissimo.

In Dania vero Rex Christianus, hatus ignorans Ecclesiarum patres cathedralium, plerosque adhuc doctrinæ adstipulari Catholicæ, ut illos quoque ad castra pertraheret Evangelicorum, publicam Hafniæ disputationem, de controversis fidei articulis, cum iisdem mandat instituendam. Quorum potissimi doctissimique fuerunt, Petrus Severus, Petrus Jareus, M. Jonas Thuronis, M. Bernhardus Arvidi, Lundensis, Abbas Herevadensis, & Efferumensis, atque M. Erasmus Sartorius, Sorensis. Ast horum erant antagonistæ, Nicolaus Kragitis, Olaus Chrysoftomus, & Johannes Seningius. Qui victoriâ ut fertur, potiti post disputationem laureâ insigniuntur Theologiae supremâ. Fuit porro acerrima concertatio, quæ VIII. ferbuit horis quotidie, per integrum durans hebdomadem, illaque finitâ, prohibentur Catholici palmam Lutheranis concessisse, ac horum religioni subscrisisse.

Cæterum in Suecia. M. Thorerus Lincopiacanonicus, quotidianas habens cum Evangelicis de religione concertationes, haud illis cessit. Ideoque nisi Johannes, Lincopensis quondam Episcopus, pro fratre, ceu imposterum non disputaturo, rigidam coram Rege, novas inde fidei turbas submetuente, deposuisset cautionem, graviter vapulasset. Attamen Thorerus mox sponsonis & discriminis oblitus, in solitam provocat æmulos arenam, & provocatus intrepide descendit.

Inchoatum anno priori bellum in Burgundiones, Rex Christianus modò etiam continuat, indeque Cæsar permotus, consentit transactioni cum Dano instituendæ. Quamobrem ex condicto suos destinat legatos Spiram Rex Christianus, ad generalia Imperii comitia, ubi post gravem utrinque altercationem, demum III. Junii die, pax inter Cæsarem & Danum, illorumque ditiones, firmissima constituitur. Hujus autem conditiones fuerant; Quod Rex Christianus fidelis Caroli amicus, & Cæsariorum inimicus hostium, esset futurus; Illis nulla latus subfidia clam palamvè; Fœdus cum Gallo, ceu Turcarum fœderato, percussum deseraturus; Detentas Belgarum naves mercesque restitueret possessoribus; His damna compensaret irrogata; Amsterodamensibus, secundum vetera privilegia, Bergæ, pari cum mercatoribus Vandalicis liceret jure negotiari; Nec ibi, vel alibi regionum Danicarum, Belgica detinerentur navigationia, nisi grandis urgeret belli necessitas, & Cæsar, possessoresque consentirent, quibus legitimè deinceps satisfaciendum; Opes Erici Valchendorpii, quondam Archiepiscopi Norvegici, Daventriæ relictas, Danus haud affectaret, sed Præfulis cederent creditoribus; Ut neque nomina illa, quæ vigore contractus cujusdam, à domo exigeret Burgundica; Regi Christierno honestiorem & liberiorem permitteret custodiam, ac hujus filiabus, dotem ex Scandia suam flagitantibus, ista in præjudicium non cederet transactio; Quarum causam, velut etiam parentis, amicè solum, non inimicè, directè vel indirectè, apud regem Christianum Imperator promoturus esset.

Qui non minus firmiter se Dano in his aliisque vicissim obligavit, atque huic pacificationi Anglum ex sua parte adnumeravit; Quem ideò si Scotus impugnaret, à Dano nulla habiturus esset subfidia. Verum Rex Christianus, Albertum Prussiæ Ducem, & præsertim Gustavum Sueciæ Regem, huic voluit includendum reconciliationi; Qui hanc ratificaturus erat transactionem intra semestre, & Danus ad Calendas Julias.

Nec segnes fuerant Reges Scondiæ ad subscribendum hujusmodi partis, quod Bremæ fecit Danus, & alibi Suecus, expeditis ad Imperatorem protinus hoc super negotio legatis; Sed quibus transegerit conditionibus cum Cæsare Rex Gustavus, mihi necdum innotuit. Imperator autem, finitis Spiræ comitiis, movit in Franciscum Galliæ Regem, quem auxilio Suecorum, Danorum, & protestantium Principum nunc destitutum felicius impugnavit, nec usque facilem in transigendo cum Scondiæ Regibus animum præbuisset, nisi hæc ipsum causa præcipue impulisset, Scondiosque metuisset.

Rex Christianus porrò, pace cum Cæsare firmatâ, militem exemplò peregrinum exautorat. Quod ipsum lubens quoque fecerat Rex Gustavus. Quando Romæ M. Olaus Gothus, videlicet XVI. Octobris, germano in cathedra subrogatur Upsalensi, & illic commoratur in ædibus S. Birgittæ, eodem quo frater salario truens, & subinde Venetas excurrens, ubi Venetorum Patriarchæ Quirino, vicariam aliquandiu præsttit operam, hincque ad concilium proficisciens Tridentinum, quod anno sequenti fuit inchoatum.

Anno MDXLV. XXV. Martii, Regi Christiano filius Johannes, & IX. Junii, filia Regi Gustavo Anna, nascuntur. Sed in Aprili, prima jecit Suecus fundamenta castris Västenensis apud Ostrogothos, quo loco priscis habuit seculis, Rex Sueonum Valdemarus, regiam prius habitationem, illique cesserunt ædificio aliquot dirutæ in vicinia Ecclesiæ ac cœnobia, & præsertim Scheningensia, non Västenense, quod intactum voluit Princeps, ob structuræ præstantiam. In Smalandia quoque arcem circumdedit mœnibus Cronebergensem, quam Episcopi fuisse olim Wexionensis, quidam asserunt; alii cœnobium extitisse memorant, & Cronebeck nuncupatum. Etenim Rex Gustavus domi forisque otium à bellis naëtus diuturnis, annum convertit ad ornandam firmandamque variis patriam ædificiis, ipsiusque pariter suasu & permisso, Ludosienes in Novembri, primum suam transferunt habitationem ad castrum proprius Elsburgense. Nec his ille contentus, indigenis regni mercatoribus persuasit, ut fabricatis ac comparatis grandioribus navigiis, ipsimet per Oceanum adveharent Occiduum in Sueciam merces, idque lucri perciperent, quod illis Lubecenses, & alii Vandalicarum urbium negotiatores quotannis præripiunt.

Hujusmodi verò negotium & otium Regis Gustavi, Albertus Magnipolenis Princeps cupiens adhuc perturbare, ipsumque regno exturbare, quos fovit in sua aula profugos ex Smalandia, illos instinctu Palatini modo in patriam remisit, mandans ipsis, ut Blechingos atque Smalandos ad novam instigarent rebellionem, & auxilium spondens certissimum. Proinde quidam horum animosiores in Smalandiam reversi, regium in ea præfectum trucidant, & demum probè animadvententes, quod incolæ promissis amplius non fiderent D. Alberti, Sundium quantociùs remeant.

Itaque Megapolensis Regis Gustavi literis propterea increpatus, & rogatus, ut profugos in Sueciam remitteret, obtemperat, ipsoisque si bi non amplius utiles, Stockholmiam vinc̄tos ablebat; ubi horrendo afficiuntur suppicio, & sociorum unus Wexioniae, Trotto appellatus. Hæc fuerat belli Smalandici catastrophe miserabilis!

Anno MDXLVI. Metropolis Finlandiæ Abogia, XXII. Martii, cum urbis basilica fortuito conflagravit incendio, & V. Aprilis, idem patitur infortunium Lincopia Ostrogothiæ metropolis, quodque flammæ voracitas modo non absumpfit, XVIII. Maji devoravit, adeoque inclementer & furenter grassata est, ut pontem etiam Stangensem eminūs ab urbe sublicum popularetur, nec ulli parceret ædificio, sacro aut profano, præterquam curiæ illic regiæ, quæ olim fuerat Episcopalis.

Prænobile virginum in Nericia monasterium Rieseberge, isto simili-

ter tempore à flammis vastatur, nec amplius restauratur, existimaturque ignem ab osoribus ac vitæ desertoribus monasticae, huic cœnobio, & aliis in Suecia pluribus, fuisse injectum.

Quandò autem Vulcanus in Suecia furit, Mars Germaniam adurit, vel potius exurit. Etenim Cæsar, pactis cum Turca induciis, & pace cum Gallo Angloque confectâ, potentiam atque insolentiam Protestantum Principum, sibi nimis adversantium, decrevit castigare, Scondicos non ipsis Reges subsidium laturos probe sciens. Quocirca utrinque ad arma conclamatur, & Saxo Lantgraviusque, Regis Gustavi ac Regis Christiani opem implorant, & nullam impetrant, quòd nupera obstat transactio cum Imperatore inita. Fridericus verò Palatinus ab iisdem rogatus, & Carolo uxoris avunculo, propter pacem cum Scondiis constitutam forte iratus, equitum turmam Protestantibus auxilio submisit, quod non ignorans Cæsar, obtentâ nihilominus ab hoste victoria, lachrymis veniam obsecranti, difficulter condonavit.

Danus interea pactis cum Imperatore porrò satisfactus, & ipsum fibi magis devincturus, XIV. Julii Sunderburgi cum rege Christierno illius sororio itâ transegit, ut pro se ac hæredibus suæ in Scondiæ regna, & Holsatiæ Ducatum jurisdictioni resignaret; ipsam regi Christiano ac ipsis posteris universam assignaret, excepta Sueoniâ ad regem Gustavum & hujus progeniem pertinente, tantam ex Scondia & Holsatia dotem filiabus duntaxat postulans, quantam sua quondam soror Elizabetha, Marchioni nupta Brandenburgensi, obtinuisse, ac simul cuique illarum monile, quod X. millium aureorum non excederet valorem, flagitans. Tum etiam quaslibet Scondiis Holsatisque offensas condonaret; imposterum liberiore ac honestiore fruiturus custodiâ Calenburgi; Hujus, & Sam-søgensis castri, gavisurus proventibus, inque horum ditionibus licet illi animum oblectari, venari, piscari, alio non abiturus, citra regis Christiani assensum, neque cum advena quopiam, remotis arbitris, locuturus, aut Dano vel Sueco damna machinaturus.

Ast XXIX. Junii die, Regi Christiano nascitur filia Dorothea, Vilhelmo Lunenburgensium Principi, deinceps matrimonio copulata. Tum verò temporis, videlicet XIV. secundum follennia Pentecostes die, Rex Gustavus Calmarniæ, decennes cum primariis Vandalorum emporiis approbat inducias, nec illas interim controversias movendas, liberamque utrobique conversationem & negotiationem futuras.

Mensibus denique Julii & Augusti, horrenda in portu grassatur Stocholmensi balæna, capite candida, & reliquo atra corpore, undas subinde copiosas ejaculans.

Anno MDXLVII. mense Februario, in comitiis Danorum Coldingenibus, suorum difficulter obtinent privilegiorum confirmationem negotiatores Vandalici, quòd Senatus regni contenderet, urbes Vandaliæ Daniæ sæpenumerò hostibus adhærendo, hujusmodi se indignas immunitatibus reddidisse. Veruntamen quòd in nupera Lubeci obsidione, illarum promisisset Rex Christianus roborationem, votis potiuntur mercatores præfati.

Ibidem XIV. ante Pascha diebus, seriò admoniti fratres Regis, Johannes & Adolphus, ut se vasallos agnoscerent Daniæ, ac Ducatum Slesvicensem, Fimbriamque, sub feudo susciperent, recusarunt, ac male contenti domum inde festinarunt. Sub id ferme temporis spatium, Imperator Saxonum Principi congressus Johanni Friderico, XXIV. Aprilis, illo, & victoriâ potitur insigni. Nec multo post tempore captum quoque Hessiæ Lantgravium, custodiæ mancipat, victoriamque prosequens

quens, adversantes sibi haec tenus Germaniae civitates hatque ditiones, compescuit; Sed Bremenses, Danici Regin intercessione, & Hamburgen-  
ses, multum pecuniae numerando, ac suam Cæsar clientelæ urbem  
submitendo, ipsius gratiam recuperarunt. Et hunc quidem sortita fuit  
exitum rebellio Protestantium.

Rex Christianus de filii apud Norvegos promotione certus eva-  
dere cupiens, principem Fridericum eo destinat, qui mense Julio, Aslo-  
giæ ab illis concorditer parenti successor designatur. Sed Islandorum  
permulti filium patremque aversati, ob veteris proscriptionem religio-  
nis, & crudellem nimis Danicorum illic præfectorum dominationem, re-  
gno insulam Anglico subdere decreverunt. Horum fuit antesignanus, Jo-  
nas Arnæsonius, Præful Holensium Catholicus, & acerrimus Martini  
Scalholteni Superintendens Lutherani adversarius, quod hic  
passim dogma pristinum abrogaret. Itaque Scalholteni Superintendent  
suis diffusus rebus, ad Regem proficisciit, & de Jona magnopere que-  
ritur, ipsum simili vocans in suspicionem Islandæ Anglis prodendæ.

Quando etiam Engelholmium civitas Scaniæ pervetus, jure spoliata  
municipali, in villam redigitur, propolis Lanscronam inde migran-  
tibus. Rex Gustavus interea sollicitatus super dote, filiabus regis Chris-  
tiani numeranda, Comitiis Stregnesiae indictis, illic cum regni Ordini-  
nibus de hac re deliberat, horumque consensu demum pronunciat, Ty-  
ranni liberos nullam omnino dotem ex Suecia promeritos. Quam neque  
impostertum Cæsar urgebat, Palatino summopere infestus, quod nuper  
dogma esset amplexus Lutheranum.

Atque Rex Gustavus insignem propriis comparatus filiabus dotem,  
quarum una XXIX. Octob. in primas hujus lucis prodiit auras, nomi-  
ne Sophia; Aliisque regni necessitatibus provisurus, quaslibet ex Oe-  
landia modo Ecclesiæ hierothecas sibi vendicat ablatas.

Anno MDXLVIII. Rex Christianus Martinum Islandæ Superinten-  
dentem, fidelitatis juramento sibi obstrictum, sub regiam admisit protec-  
tionem, Islandis mandans, ut ipsi auscultarent in religionis negotio, &  
Jonam illius æmulum, fide munitum publica, Hafniam peremptoriè ci-  
tans. Is proinde magis adversario succensens, ipsum ex Dania redu-  
cem, cum CCC. invadit armatis; superatum custodiæ tradit; effossum  
ipsius antecessorem, velut Ecclesiasticâ indignum sepulturâ, foris loco  
tumulat profano; Insulæ Nomophylacem, novi dogmatis studiosum,  
privat officio; suum filium subrogat; & Regem accedere penitus recusat;  
præcæque religionis exercitia ubique restaurat.

Tantam Episcopi audaciam quidam David Gudmundus, captivi  
socer Superintendens, ægerrime ferens, & propter incestum, aliosque  
concubitus nefarios, à Præfule vehementer increpatus, bellum ipsi molitur.  
Hanc Danus ignorans Islandorum rebellionem, filiæ nuptias Annæ,  
Duci Saxonum Augusto desponsæ, apparat; & illas Coldingæ tribus ante  
Pascha septimanis celebrat; In his quod primum trina diademata, pecu-  
liaria regni Suetici insignia, sibi arrogaret, ac Daniæ stemmati conjuncta  
usurparet, hoc pacto nonnullam sibi competere jurisdictionem in Sueciæ  
regnum, machinans insinuare, multò graviorem, quam modò suborta  
in Islandia, in Sondia Suecos & Danos inter commovit dissensionem,  
copiosæque sanguinis humani occasionem præbuit effusioni, velut seqens  
testabitur historia.

Secundum conjugii hujus solennitatem, edicto per Daniam promul-  
gato, declarat Rex Christianus, uxores decedentium hæredes marito-  
rum existere in bonis quidem mobilibus ex semisse. Verum Cæsar hoc  
tem-

tempore in comitiis laborat Augustanis, ut collapsam in Germania refstauret religionem, animadvertisque idem lente in concilio Tridenti procedere negotium, medium quandam fidei normam Catholicos & Lutheranos inter, à tribus curat viris doctissimis, Augustæ conscribi, quam publicat XVIII. Maij, & mandat, ut ipsa uterentur in Ecclesiis Germaniæ, donec Concilii prodiret decretum, ac propterea inscribitur præfatus liber; Interim.

Imperatoris autem mandato, Princeps Saxoniæ Mauritius, Vitebergenses ac Lipsenses Theologi, quorum primarius Philippus erat Melanchthon, nonnullis præfati libelli articulis, se accommodant, divulgantes quandam religionis formulam in Mauriti ditione, ab omnibus servandam. Quamobrem his cum aliis Lutherani dogmatis assertoribus gravissimum oritur certamen, qui molles vocarunt illos ideo confessionistas. Neutrum porrò scriptum Romanus approbavit Pontifex, ac proinde nec Catholic per Germaniam Episcopi, quorum unus Præsul Constantiensis Johannes Vaselius, qui Lundensis olim fuerat Archimysta, modò diem clauerat supremum.

Presbyterium quoque Sueticum sub hoc religionis dissidio nonnihil facturum, denuò Agendum Enchiridion ceremoniarum in Ecclesia receptarum Suecana, publicat; In quo retinet exorcismum, crucis signaculum, salem, lumen, & vestem candidam in baptismo. In Missa vero Sacramenti non prohibetur elevatio; ut neque funerum consecratio, vel pro animabus illorum consueta oratio. Quando religionis & rituum maxima profectò fuit obtrusa metamorphosis Västenensium cœnobitis. Nam initio Paschalis jejunii, præsentibus regni Consiliariis, de primariis fidei articulis, M. Georgius Normannus Patriarcha Sueonum, & Claudius Ostrogothiæ Proëpiscopus, cum Monachis, & M. Thorero Lincopæ Canonico, certantes, compellunt antagonistas, Regis percusso indignatione, tempori se accommodare, & Lutheranæ consensum simulare fidei. Ideoque, cum post temporis paululum dogma propugnando Catholicum, acrius solito foret iterum proditus M. Thorerus, in squalidum Griphisholmiæ conjicitur carcerem. Sed victores interim novam vitæ & ceremoniarum Västenensibus obtrudunt formam, quam vix amplexos existimo, cum plerique cœnobitarum Catholic ad extreum usque perseverarint halitum.

Rex Gustavus porrò magis sollicitus de regni defensione, veris tempore prima jact acropolis fundamenta Upsalensis, cui fabricæ non modo fuerunt adjumento, rudera Ecclesiarum in urbe subjecta passim dirutatum. Rex Christianus nec indormiens commodo Dania, perpendit Reipublicæ minus utile, quod feudo Holsatiæ, Stormariæ & Dithmersiæ, nec dum esset ille, fratresque per Cæsarem investiti. Atque Imperatorem sibi addictum, propter Spirensem transactionem, & non latas Protestantibus ex Dania suppetias, quodque Cæsari famularetur frater Adolphus, considerans; prout etiam fraternalis laceffitus literis, in hoc statuit negotio, & dotis à regis Christierni filiabus postulatae, suos ad Carolum transmittere legatos. Ac propterea his simùl mandat, ut Palatino & Lotharingo C. aut CC. thalerorum millibus ex Dania Norvegiaque promissis, conarentur omnem cum illis controversiam penitus transfigere; non tamen excludendo Regem Sueciæ, vel his illum objiciendo hostibus; verum spondendo solùm operam Danicam, in componenda similiter cum Rege Gustavo illorum discordia. Hac itaque Oratores commissione instructi, Bruxellæ Imperatorem conveniunt, qui V. Octobris suo diplomate, feudum Holsatiæ, Stormariæ ac Dithmersiæ, Regi Christiano, Johanni & Adolpho fratribus, multâ contulit sollennitate; Protestans tamen se juri

Lubecensium Præfulis illud conferendi, nolle per hujusmodi collationem quicquam derogatum. Postea legati, generis regis Christierni minus æqua poscentibus, congressi, nihil efficiunt, & nihilominus in Daniam cum tripudio redeunt.

Anno MDXLIX. Danus transactio Spirensi & Sunderburgensi, simulque Bruxellensi provocatus, admonitione per Oratores domum reversos insinuatâ, regem Christiernum patrualem ex castro deducit magnificè Sunderburgensi, XVII. Februarii; Quo cum in urbe collocutus Assensi, dignam Principe tanto pollicetur illi commoditatem, quâ etiam potitus Calenburgi rex Christiernus, captivo tamen similius, quam homini libero. Quoties nihilominus libuit venationi aliquandiu indulxit, donec in ea semel fugæ captasset occasionem, quando in latebris sylvarum difficulter investigatus, ad castrum perducitur, nec amplius venatum permittitur.

Verùm isto mense dum Rex Christianus Coldingæ adventum præstolatur regis Christierni, indè literas dirigit Islandis, quibus Jonam Holensium proscriptit Antistitem, & prohibet Ecclesiasticis, juxta ac Politicis, illi præstare obedientiam, illoque apud Islandos diplomate subsedit per biennium illa rebellionis tempestas; Jonâ nihilominus interim in vinculis adversarium detinente; suo intrepide officio fungente; utramque diœcesin administrante; priscum dogma restaurante; ac levibus subinde prœliis excommunicati factiones Davidis opprimente.

Rex Christianus autem domi subditos habens morigeros, Lansonam Scaniæ civitatem, castro illi imposito, magis firmavit. Et Rex Gustavus multò pacaciorem habens Sueciam, Stockholmiam illius regiam à peregrino securiorem hoste redditurus, quendam privatum in fauibus maritimis aditum, mersis in eo cisternis lapide oneratis, obstruit. Ast secus publicum navium ad urbem accessum, Vaxholmum, insigne construit propugnaculum, ducto etiam per fretum repagulo.

Sed illo pestis contagium non potuit excludere, quod ex transmarinis allatum emporiis, Summi Regis permisso, peccata Sueonum mulcantis, hoc anno per regnum horrende grassatur.

Istâ reor pestiferâ lue prænobilem Regis socrum Ebbam simul extintam fuisse, quæ mense Octobri decessit in monialium clauistro Wrensum, ubi libentius & frequentius fuit haec tenus commorata, quod Romanæ amantior esset religionis quam Lutheranæ; illumque ipsi gratulatus est zelum suis crebro literis Olaus Gothus. Sepulta tamen fuit Lincolniae, in summo Ecclesiæ choro, eximio decorata cenotaphio. Atqui prius Ebba viderat neptem, ex filia Margaretha Regis conjugé prognatam, in Martio, & Elizabetham nomine appellatam.

Quo tempore Rex Gustavus, a Cæsare vel Mauritio Saxonum Princeps provocatus ad novæ dogmatis formulæ, Interim vocatæ, subscribendum, exemplar sibi destinatum, regni tradit Prebisterio examinandum; Quod idcirco hâc æstate congregatum Upsaliæ, illam ponderat, & demum condemnat, velut prodromum religionis Chatholicæ, postliminiò in Sueciam reducendæ. Eundem quoque libellum à Daniæ Clero veitilatum fuisse, & jugulatum arbitror; cuius Doctores ac Professores, modò insudarunt bibliorum in linguam vernacula translationi, veterum adhibita simul versione non nihil limata, in cœnobiorum bibliothecis reperta; sicut etiam Christierni Petri recentiore translatione, qui Seculi currentis exordio, Novum Christi Testamentum, & Davidis Psalterium, in Danicum transtulit ideoma. Verùm, primordiò hujus anni, princeps Fridericus Christiani regis frater, Slesvicensi contentus Episcopâ, suam illi portionem, & fratrum reliquis, ex Ducatu Holsatiæ assignavit, hujus

jus nomine ab ipsis annuatim IX. millia Lubecensium marcarum accep-  
pturus, donec sibi pinguiorem procuraret diœcesin.

Anno MDL. Piscis capitur in Oeresundio monstrosus & porten-  
tosus, utpotè humano præditus capite, & in illo monachalem habens  
tonsuram, ac similiter in corpore reliquo, squammis, habitu velut mo-  
naftico, undique obsitus; Quem Rex Christianus, summa meritò de-  
fixus propterea admiratione, sepeliendum curavit. Princeps Fridericus autem  
hujus frater, Episcopæ administrator Slesvicensis, VII. Martii, quælibet suo  
confirmat Capitulo privilegia; Quando Biblia Professores Hafnienses ex  
typis Danica publicant, Lutheri Germanicam in iis sequentes versionem.

In Germania interim Cæsar Scoto reconciliatus, non pacem modo,  
sed quoque fœdus cum illo pepigit, quo Danorum Rex, velut Jacobi cognatus,  
& utriusque fœderatus, comprehenditur. Rex Gustavus etiam per  
suos apud Carolum oratores, initam nuper pacem magis corroborat,  
& novam cum Anglo fabricat, non formidans amplius insidiās Palatini,  
vel Alberti Megapolensis, licet conjunctis hoc anno armis cum Georgio  
fratre, & Adolpho Holsatorum principe, Sueciam denuò impugnare de-  
creverit; Verum postulato & non impetrato securo per Daniam cum co-  
piis transitu, hac bellicâ cogiturn supersedere iterum expeditione.

Lubecenses dubio procul cum his conspirarunt Principibus, quod  
modò gloriati ferantur, se Stockholmiam non difficulter expugnaturos, &  
regiam classem flammis tradituros. Proinde sedulas noctu diuque Stockholmiae  
Rex Gustavus habet excubias; Nec magnoperè Dano etiam fidens, quod  
Adolphus frater ipsius, cum Megapolensis & Lubecensis hanc simul in  
Suecos militiam suscepisset. Cæterum ista fuit æstate permisso regio inchoatum  
in Nylandia Finlandiæ, Helsingforsium, & jure civitatis donatum. Sed interea Stockholmiae, IV. Octobris, Margareta genuit filium Regi Gustavo marito  
Carolum; Qui primum Sudermanniaæ, Nericiæ ac Vermelandiæ Dux paterno  
constituitur testamento, & deinde Sueciæ Gothiæque decernitur Monarcha.

Anno MDLI. Jonas Arnæsonius, Holensium in Islandia Episcopus, ut  
insulæ totius dominio potitus, fieret potentior ad resistendum copiis regiis  
propediem ibi affuturis, statuit in primis Davidem, capti Superintendentis  
focerum vel levirum, CCC. stipatum armatis, debellare. Itaque Februario  
mense, D. incolarum sub vexillo habens, adversarium aggreditur, qui suo-  
rum viribus diffisus, dolosâ utitur oratione, quâ commemorat sibi contra  
patriæ leges vim in proprio irrogari fundo, quam non impunitam laturi es-  
sent domesticæ immunitatis prævaricatores, & demonstrat se pro legitimo  
pugnare Rege adversus Episcopum, insulæ dominio inhiantem. Istoque Jo-  
næ comilitones sermone persuasi, domum relicto Antistite certatim dilabuntur.  
Quem mox sociorum armis destitutum, astutus ille David aggres-  
sus, ipsum cum filio Nomophylace & altero Presbytero, captivum abduxit  
Scalholtiam; Martinum generum aut sacerdotum ex vinculis eduxit, & sub-  
veritus ne propter captum Præfulem, atque Nomophylacem, periculosior  
multò insurgeret tumultus, & plerique Islandorum, armis resumptis, captos  
libertati restituerent, suorumque penitus delerent antagonistas, ex consilio  
regii Præfecti, Jonam cum utroque filio, securi feriendos submisit. Ter-  
tium verò habuit Episcopus filium superstitem, qui parentis & fratrum ille-  
gitimam vindicaturus mortem, suasorem, ac XIII. hujus servitores, trucidavit.

De hoc tragico autem rebellionis Islandicæ exitu, nec dum Rex Christianus certior factus, initio veris binas illuc expedit naves D. armatas milibus, Islandos ad pristinam compulsurus obedientiam; Jonam cum filiis captivaturus; Superintendentem liberaturus; & Lutheranum ibi dogma propagaturus.

Harum porro ductores copiarum in Junio Islandiam ingressi, rebellium

cognoscunt interitum; Davidis approbant fācīnus; Paulum Hialterum Scalholtiæ ordinant Superintendentem; & sententiam ab insulæ judicibus impetrant, quā Episcopi trucidati filiorumque bona mobilia & immobilia regio assignarentur fisco. Præfatos autem filios, existimo Jonam ex legitimo fortitum conjugio, antequam sacerdotali ac Episcopali potitus esset officio; Siquidem à multis seculis matrimonium Presbyterio Islandico non fuerit usitatum, velut præcedens attestatur Historia.

Atqui disputatum acriter hoc tempore in Tridentina synodo, de hujusmodi sacerdotum cælibatu, unusque in concilio fuit Assessor modò, M. Olaus Gothus, exulans Sueciæ Archiepiscopus. Sed auditorum primarius erat Johannes Comes Hojensis, Gustavi regis sorore natus, vir sanè omni disciplinarum liberalium genere ornatissimus; Qui propterea horum suffragio Patrum insulâ donatur Monasteriensi. Hujus per id temporis spacium avunculus, translationi fuerat intentus nosocomii Stocholmensis ex cœnobio insulano ad Dannevichiam, salubriori expositam auræ, propè suburbium australe.

Tum etiam multi Sueticarum urbium negotiatores, consummatis haec tenuis ex regio instinctu naviis, cum grandi rerum suarum incremento, per Oceanum cæperunt velificare occidentalem, & merces indè nobilissimas, non Lubeco, in regnum apportare. Ita suis, & subditorum rebus, bellè admodum in Suecia ubique modò ordinatis, felicissimum se Rex Gustavus reputavit. Quam tamen felicitatem actutum vehementer conturbavit dilectissimæ conjugis obitus Margaretæ, qui in XVI. Augosti diem incidit, illumque non homines solum magnopere luxerunt; sed illustrissima mundi facula sol eundem deflevere visus, cum mortis tempore deliquum ille fuerit passus. Tumulata verò fuit Margareta primum in parochiali Stocholmiæ templo basilicè, & postmodum indè translata Upsaliam unà cum funere mariti.

Funestus quoque extitit hic annus Lundensibus, quod foris, videlicet Coloniae, Catholicum ipsis Præsulem M. Georgium Scorborg fatorum violentia XV. Decemb. abstulerit; & domi Evangelicum subtraxerit iis Superintendentem Franciscum Vormundum. Quos tamen fors melior consolata, M. Nicolaum Palladium, II. ibi Superintendentem, ipsis providerat. Verum XXX. Aprilis, mortis quoque succubuit tyrannidi, D. Tilemannus Husenus, Slesvicensium Superintendentens Lutheranus, natione Clivenensis.

Anno M. DLII. Rex Christianus à redeuntibus informatius Optimatibus de Islandiæ statu, illuc destinat Paulum Huitfeldium, qui superstitem Jonæ filium, & reliquos, à quibus cædes præfecti regii servitorumque perpetrata esset, morte mulctavit; fidem restauravit Evangelicam; & triviales Scalholtiæ atque Holæ scholas restituit.

Sed qui primum hanc in Sueonia propagarunt doctrinam, M. Olaus Petri, & M. Laurentius Andreæ, interim de vita migrarunt; ille quidem Stocholmiæ XIV. & hic septuagenarius XIX. Aprilis Stregnesiæ, Lundiæ autem Scanorum, XXVII. Decembris, M. Thorbernus Bilde, postremus illic Præsulum Catholicorum, mundo valedixit; Non tamen illi, verum Francisco Vormundo, ibi subrogatur M. Nicolaus Palladius, qui octiduo secundum Pascha inauguratus, Johannem Albertum, Roschildenibus consecrat Episcopum. Gustavus Sueonum Rex, nihil minus quam de morte adhuc cogitans, tertio se accingit conjugio, quod, XXI. Augsti, Vasteni cum venusta admodum virginem, & familiæ oppidò pervetustæ, Catharina, illustris herois Gustavi Olai in Westrogothia gubernatoris filia, consummavit.

Illi Præsules regni matrimonio, & præsertim Archiepiscopus, Vpsalenfis, & Bothvidus Antistes Stregensis, magnopere in primis reluctabantur; Quod Catharina esset sorore nuper defunctæ conjugis regiæ progenita, & Gustavo Johannis ab Haga legitimate desponsata. Vicit tamen regis Gustavi flagrans erga virginem amor, qui adversariorum contumaciam carceribus

bus etiam compescuisse dicitur, & priori satisfecisse sponso, Ceciliam novæ conjugis sororem illi procurando uxorem. Interea non amoris potentia, sed ignis vehementia flagrantes Stockholmia & Abogia, universæ propemodum consumuntur. Quo tempore Germania horrendo martis incendio iterum flagravit, Gallo & Saxone Imperatorem ardenter oppugnantibus, imperiumque affectantibus.

Anno MDLIII. XXI. Januarii. Funus M. Thorberni sepulchro Lundiae commendatur, & frequentissimus Hafniæ Ordinum conventus celebratur. In quo etiam Oratores Lubecensium, ac reliquorum in Vandalia mercatorum comparentes, queruntur, quod Bergæ, juxta privilegiorum non licet tenorem, Hansaticis institoribus negotiari. Nec alio potiuntur responso, quam illic hoc super negotio inquirendum, & quod justitia suadet, tunc statuendum esse.

Suecus autem haud ignorans pactas cum Lubecensibus inducias modo ad finem properare, ut tempestivè ipsorum exploret animos, suum ad illos expedit Secretarium Olavum Laurentium, & per reducem intelligens ipsos, non nisi veteribus negotiandi in Suecia receptis privilegiis regno intolerabilibus; Ablatis nupero bello mercibus restitutis; & impensis prælio sumptibus adversus regem Christiernum pro Sueciâ simul gesto solutis, ad ulteriorem propenos pacem, suæ invigilat defensioni. Ericum quoque filium, proximum throni hæredem, destinat Lincopiam, ubi cum Presbyterio Ostrogothiæ & Smalandiæ illic convocato colloquens, illud servandæ admonet fidelitatis, ipsumque parenti magis devincturus, consuetas ei decimas confirmat Ecclesiasticas.

Moschus vero, ruptis denuò LX. annorum induciis, Finlandiam incursat, bello quod postea sequebatur, largam præbens occasionem. Quod tres in cœlo viisi soles, XXII. Aprilis, aliaque portenderant regni procul dubio infortunia. Flammæ etiam plurimæ in Dania locis cœlitus delapsæ, incolis nihil fausti prænunciaverant.

Denique Johannes à Lascho, natione Polonus, & religione Calvinianus, cum multis pulsus ex Anglia sociis Sacramentariis, à Maria regina illie dogma Catholicum restaurante, binis defertur navibus in Daniam, ubi, quod aliam à Luthero de Sacramentis adportaret sententiam, non potuit obtinere hospitium; nè quidem per brumæ tempus severioris. Unde Oceanum repetere coactus, post multos errores ac pericula, in oppido Frisiæ orientalis Embdano, commodum nanciscitur diversorium. Ab illo tamen paulisper in Dania morante, isti fortassis seducti concionatores in Fonia bini, qui Ottoniensi postea Superintendenti M. Georgio, multum in religione faceffiverant negotii, & propter hæresin contumaciter defensam, perpetuis fuerant carceribus adjudicati.

Istoque tempore publicavit Olaus Gothus vitam Birgittæ & Catharinæ hujus filiæ, in ædibus impressam Romæ Brigittinis, seu Suecorum xenodochio.

Anno MDLIV. Ut memorati Daniæ concionatores, dogma Calvinianum, seu Arrianum, propugnaverant, ita M. Thorerus Magni Catholicum hactenus acerrimè defenderat, & propterea cum aliquot detentus fuisset annis in carcere Griphisholmensi, XVII. Junii, cum M. Michaële Agricola, & Paulo Juften, ex Finlandia ideo à Rege accitis, illuc luculenter ac ferventer de religione disputat, & demum ut inde liberaretur, se victimum fortassis fatetur. Quietus autem postea vixit in cœnobio, & nosocomio consenuit obiitque Vastenensium. Sed victores à M. Bothvico Stregnensium Episcopo initatos, Finlandiâ in binas divisâ Episcopas, nempè Abogensem & Viburgensem, illius constituit Superintendentes, Michaelem quidem Abogiæ; verum Viburgo Paulum præficiens. Ille porrò quod reversus domum primis fuisset operatus facris

cum insula pedoque, pro veterum consuetudine Episcoporum, Rex ipsi magnopere succensuit.

Præfatus quoque Bothvidus non modico hactenus tempore incarceratedus simul Gripsholmiæ, quod regimini & matrimonio Regis esset reluctatus; suo minus fideliter officio functus; & Historiam Patriæ cum M. Olae Petri corrupisset, XIX. Januarii, culpam deprecatur, & marcis D. regi Gustavo promissis, spondens quod non ægre latus foret exantlatos custodiæ squalores, liberatur. Paululum verò fidelius, quam Olaus aut Bothvidus, Sueciæ conscriperat Chronicon olim Johannes Gothus, quod modò Romæ publicam aspexerat lucem, in domo excusum Brigittina.

Cum priori anno nonnulla glisceret dissensio Suecum & Danum inter, & præsertim ratione lmitum, ac trium Coronarum, consentit uterque colloquio Elsburgi, XXV. Maji, inter Proceres hac super re habendo. Hoc proinde anno illuc Dani profecti, quando componendæ invigilant discordiæ, à rege Christiano domum revocantur, quod bellum Cæsaris cum Gallo, nonnullam Danis incutteret quoque formidinem.

Quocircà conventu in annum sequentem prorogato, & quibusdam utrinque viris spectatæ fidei ordinatis, qui regnum interea limitem forrent perscrutaturi, & legitimum condicto tempore perhibituri testimonium veritati, in Daniam remeant. Quorum consilio, aliorumque Procerum, Danus Oceanum, & sua regna ab infestatione Gallorum Scotorumque liberaturus, XIII. Junii, classem in mare instructissimam expedivit, quæ nullis in Oceano piratis conspectis, portum repetit Hafnensem.

Cognoscens etiam rex Christianus non paucos Danorum ex mutuata indigentibus pecunia, impium levare scens, adhibitis in consilium Ecclesiasticis & Politicis Optimatibus, publico statuit edicto, nè sceneriorum ullus imposterum plus usuræ caperet ex C. aureis, quam unum duntaxat.

Is quoque filio jam adultiori provisurus principi Friderico, castrum Malmogense & ditionem illi subjectam, propriamque aulam & aulicos assignavit. Ac eodem circiter tempore vitam morte commutavit in Sielandia, M. Christiernus Petri, Canonicus quondam Lundiæ, & peculiari in bello cum Lubecensibus Georgii Mynteri consiliarius. Inde que male de patria; Sed quod non paucos pro illius commodo libros publicasset, bene de eadem promeritus censetur. Exiguam tamen gratiam a candidis horum æstimatoribus reportat; Præsertim quod Latinam Saxonis Historiam ex typis primum divulgando, ipsam plurimis vitiaverit locis, mutilaveritque; Sicut etiam Daniçam hujus editionem numeris adstrictam, mendaciis passim in obsequium patriæ fœdissimis conspurcaverit.

Sed in Sueciam redeat oratio, quod Livones Moschi timentes jum, legatis expeditis, Regem Gustavum invitant, ut conjunctis secum viris & viribus, tyrannum impugnare non gravaretur. Consentit Suecus postulationi, & bello se accingit Moschovitico. Interim XXVII. Junii, suburbium Stocholmiæ australe, fortuito conflagravit incendio.

Anno MDLV. Rex Christianus edicto vetat per Daniam undequaque promulgato, nè quis incolarum præsumeret hospitio suscipere Anabaptistas & Calvinistas. Huc autem permovit Regem, quod Johannes Laschius, & Carolus Utenthofvius, cum CC. delati sectatoribus in Daniam, MDLIII. prout memoratum est, antequam ex regno secederent, quosdam Danorum suo inescavissent dogmate, qui modo aliis illud sensim conarentur instillare. Ac his potissimum adversatus, ipsique Laschio, M. Henricus Buscoducensis, Professor Hafniensis, Regem Christianum impulit ad hujus promulgationem nunc decreti, & Laschii anteà cum sociorum colluvie expulsionem; de qua postmodum Utenthofvius, libro edito, graviter cum Danis expostulavit, ipsosque fugillavit. Sed Vis-

mariæ, XXV. Februarii, nuptias celebrat Johannes Magnipolensis Princps, cum filia Ducis ex Prussia Alberti, quas Rex Christianus, velut sponsæ avunculus, cohonestatus, suos illuc expedit legatos. Qui, quod in publica illic chorea Poloni Oratoribus non essent prælati, indignabundi domum protinus abeunt, protestantes Daniam multò antiquius ac illustrius esse regnum quam Poloniam, non ita pridem regni titulo decoratam, illaque sollennitate nuptiarum plus avunculo sponsæ ideò tribuendum honoris fuisse, quam Sigismundo regi peregrino. Quod frustra excusat factum sponsus, illius se vasallum affirmans, & proinde obligatum ad hanc deferendam ipsius legatis prærogativam.

Verum XVIII. Januarii, Moschus Suecum provocaturus ad bellum, & aliquot Finlandiæ ditiones subjugaturus, velut à suo multis ante seculis dominio avulsas, quasque olim promisisset Magnus Sueonum Monarcha Moschoviæ restituendas, & meritò non restituit, per triduum oppugnat Viburgum conatu irrito. Itaque solutâ obsidione, finitimam devastat regionem, atque prædis onustus in Moschoviam remeat, indeque reversus in Martio non tanta cum potentia, à præsidio limitaneo agricolis stipato, aliquoties profligatur, & præsertim XI. hujus mensis die, atque XVI; quanquam XII. millia bellatorum sub signis haberet.

Intelligens porro Sigismundus Polonorum Rex, Gustavum Regem Moscho propterea bellum moliri, & cupiens simul eundem impugnare ditionum prædonem, misso in Sueciam legato Hieronymo Machiovecis, amicè postulat, ut secum fœdus in hostem communem Suecus percutteret, & vicissim de illo rogatus, promittit se effecturum, quod Principes & negotiatores mare accolentes Balticum, interim non essent Sueciam bello molestaturi, hacque cum ipso conditione Rex Gustavus modò fœderatur.

Et quandoquidem nunc instaret dies III. Maji, colloquio destinatus Elsburgenfi, Proceres illuc XV. expedivit Rex Gustavus qui cum Danis ibi congressi, queruntur quod Blechingiani proximo cum Smalandis bello, Dachio & commilitonibus, refugium & præsidium, subsidiumque præbuissent; Velut etiam, quod Vernerus Pasbergerus, Blechingiæ gubernator, à profugis ex Suecia dono sæpè accepto, securam ipsis concessisset ibi commemorationem; Illaque cum fœderi regnorum adversarentur, Danos prævaricationis accusant.

Hi autem objectionibus responsuri, flagitant, ut, siquidem ipsi VI. numero solum essent, totidem ex Suecibus, qui XV. fuerant, secum considerent, non plures. Idque abnuunt Sueci, velut suæ contrarium instructioni, & aliud Dani; Itaque negotio infecto utrinque disceditur. Pris tamen hanc attulerunt prævaricationis excusationem Dani, afferentes, quod hujusmodi hominum facinora privatorum, citra Regis scitum admissa, publicas regnorum constitutiones haud infringere, & promittentes in fontes inquirendum, atque deinceps legitimè animadvertisendum esse.

Quapropter nullum conciverat ista tumultum controversia; Verum quod princeps Fridericus Christiani filius, trina auri diademata, insignia Suecorum peculiaria, suo nunc annulo insculpta signatorio, occuperit usurpare, ac quampiam hoc pacto sibi jurisdictionem in Sueciæ regnum quodammodo arrogare, primò nonnullam inter Suecos & Danos commoverat animorum dissensionem, ac deinceps horrendam sanguinis effusionem. Principio quidem calamo certatum, postquam anno priori Historia Johannis Gothi, & isto fratris Olai volumen, prodiissent, quibus Sueonum causa vehementer propugnaretur; Atque Petrus Rosefontanus his antigramma opposuisset. Sed postmodum cruentissimo pugnatum gladio, prout ex Historiæ progressu fiet manifestum.

Quod verò ad præfatum Olai Magni opus attinet, Scondianorum ritus

graphicè picturis atque scripturis commemorans, externis fuit illud nationibus propter materiæ varietatem & raritatem jucunditatemque adeò gratum, ut quædam illud gentes crebro excuderint, aliæ in varias redegerint Epitomas, reliquæ in vernaculum transtulerint sermonem. Nec alii mortaliū istud mendacii arguunt, quam qui Scondianorum ignorant antiquitates, & admirandam priscorum ætatem ex moderna imprudenter aestimant.

Prætereà Stockholmiam isto anno flammæ iterum populantur, occidentalem urbis plateam ædificiis orbantes. Quo ibi Rex Gustavus tempore, latiorem & augustiorem præparatus accessum ad acropolim, non modicam de parochiali Stocholmensium Ecclesia sustulit vicina portionem. Immò hoc templum, velut castro nimis propinquum, & captâ per hostes urbe, valde periculoseum, decrevit Rex omnino demoliri; Sed à quodam sibi familiari admonitus, sat multas hactenus Stockholmiae subversas esse Ecclesiæ; Et timendum, nisi desisteret, nè Deus graviter hanc vindicaret injuriam, animum mutavit. Postea in gratiam filii principis Erici, qui bona matris vitalitiæ, ut vocant, nempè Calmarniam & Borcholmum, cum ditionibus eslet consecuturus subjacentibus, peculiarem horum incolis Superintendentem assignat Petrum Caroli, licet multis seculis ad diœcesin spectavissent Lincopensem atque Wexionensem.

Intereà temporis comitia celebrat Hafniæ rex Christianus, in quibus legati Vandalicarum urbium denuo queruntur de suorum prævaricatione privilegiorum in Scania Norvegiaque, & non alio responso potiuntur, quam ubi sua propediem Lubecæ monstrassent regiis Commissariis autographa hujusmodi immunitatum, & illiprobè ea examinassent, cumque apographis remeassent inde legitimis, se Regem quantocius resoluturum. Quod tamen haud servatum, sed ad tempora principis Friderici, hoc prorogatum fuerat promissum.

Huic non adfuit Ordinum conventui, Uffo Bilde, Catholicus Arhuiensium Episcopus, quod vitam hactenus ageret privatam, illique finem hoc anno imponeret, in cœnobia sepultus Antvorschogensi.

Denique Rex Gustavus clades à Moscho acceptas vindicaturus, & patetis cum Polono Magistroque Livonum initis satisfacturus, immensum comparat exercitum, cumque non modica illius parte Junio mense Viburgum versus præmisit Jacobum Bagge, hostium consilia exploraturum. Qui XVIII. Julii, Viburgensem ingreditur portum, cum XIV. liburnis, eodemque ipsemet Rex mense, cum reliquo solvens Stockholmia exercitu, VI. Augusti, Abogiam incolumis appulit. Sueciæ porrò filio Erico, ac quibusdam Optimatum, in sua commendaverat absentia gubernaculum, atque secum acceperat Johannem filium alterum, annos natum XVIII. eximiâ Principem indole, & parenti chariorem longè, quam esset princeps Ericus. Atque hujus non ignarus bellicæ Magister Livonum expeditionis, nihilominus contra fidem domi sedet ab armis otiosus, & verbis cum Rigenium Episcopo contentiosus. Quam excusaturus perfidiam & desidiam, Oratores ad Suecum expedit, quos ipsum Abogia convenientes, nec competenti honoris titulo appellantes, Dux Johannes egregiè fuggillavit. Etenim cum pro Durchleutigste Regem Gustavum vocarent Erlutigste, & quærenti postmodum Johanni, quid Erluten significaret? Responderentque; illuminare, indignatus Princeps Legatorum inscitiae, subintulit; Regem Sueciæ non adeò obfuscatum esse, ut tenebrionum indigeret Livonum illuminatione!

Indè Suecus, Magistri excusatione contemptâ, & solutione Legatorum neglectâ, propriis Moschum viribus decrevit invadere, Regisque mandato Baggius Noteburgum expugnaturus, relicto Viburgo, cum navalibus copiis X. Septembris per Nynam fluvium eò properat, Quò terrestres simul duce-

ducebant cohortes, Henricus Claudii à Canchas; Claudio Christierni ab Amine; atque Claudio Boyus; mavortii omnino heröes.

Porrò cum iter triduo continuassent, ingentes illis occurunt Moschorum phalanges, quibus profligatis, pergunt, & distantes solum sesqui milliarī Noteburgo, missis obviam nunciis, interrogat illius Castellanus; Quamobrem illi citra fidem publicam Principis Moschovitici ditionem ausi essent ingredi, & num Legati essent? Ac dato responso, quod feciales & bellatores, non caduceatores, forent à Sueonum Rege destinati, ad vindicandam Moschi perfidiam, & crebras Finlandiae vastationes; sub Noteburgum castra movent, illudque obsident.

Interim Rex Gustavus Abogia cum grandioribus Viburgum properat cohortibus, quod delatus XXV. Septembris, obsidionem intelligit Noteburgensem, quam Sueones tamen post triduum deserere compelluntur, quod castro hostium propter interjectas paludes invias, locique distantiam, nihil possent illi inferre nocimenti. Remeantes autem inde Sueones, à XX. hostium milibus impugnantur, & cum illis in multam prælantur noctem, quæ demum pugnam diremit, hujusque beneficio profugiunt Moschi; Quos sequenti luce nimirū II. Octobris die, tribus frustrā insequuntur milliaribus Sueones, & victores ad classem revertuntur. Hæc IV. Octob. Nyno egressa, Viburgum repetit, quo magis firmato, Rex militem ad hyberna transmittit, & ipsemet Abogiam secedit.

Angli verò bellis inter Suecos & Moschos flagrantibus, non permissi cum his negotiari, haud minus audaci, quam olim Iason, se navigationi accingunt. Etenim Oeresundium prætergressi, & septentrionem versus in Oceano progressi Norico cum tribus navigiis, extrema Norvegiæ, Tilemarchiæ, ac Lapponiæ legunt litora, illorumque unum, velut argos altera, duobus amissis, ad portum, & urbem S. Nicolai Moschoviticam, post infinita appulit discrimina; Inde sequenti vere in Angliam reversum, hujusmodi navigationis in Russiam compendium, cum maximo Danicorum vectigalium dispendio, suam & alias docuit nationes.

Anno MDLVI. Moschus sibi persuadens Regem Gustavum in Sueciam cum universis remeasse copiis, & multiplices prioris anni clades vindicare cupiens, frequentissimum congregat exercitum, & cum illo Viburgum versus properat. Verum Sueones præfidiarii, uno exploratorum hostilium capto, Moschi cognoscunt adventum, & socia evocant ex hybernis quantocius agmina fortissima, constituuntque D. medio ab urbe milliari excubitores. Hi præcurrentes hostium cohortes viriliter exceperunt, seque defenderunt, donec integro Moschorum exercitu superveniente, terga verterent. Quos nonnulli hostium sub mœnia urbis infecuti, grandioribus repelluntur tormentis.

Sequenti tamen nocte Moschus beneficio tenebrarum sub ipsa castra metatur civitate, & illucente die XXII. Januarii, occœpit urbem globis saxisque diverberare; cumque ad meridiem usque vanum librasset fulmen, & Præses insuper armamentarii peritissimus, nostratum telis occubuisse, ac commilitonum plurimi, de urbis consultaturus expugnatione hostium Polemarcha, cum primariis agminum ductoribus, in subjectam eques descendit glaciem; Ista verò a subterlabente attenuata flumine, sensim subsedit, & Dux copiarum, certique exercitus Capitanei, vorticibus repente obruti submerguntur universi.

Quamobrem superstites Moschorum cohortes ductoribus orbatæ, consternataeque, inde proximâ dilabuntur nocte. Quibus à tergo inhærens hostis, multos trucidavit fugientium, victorque reversus, submersos indagavit Moschos, & amplissimas exuvias reportavit. Plurima deinceps quoque Russorum agmina Finlandiam passim obvagantia & populantia interimuntur, hosteque tandem amplius nusquam comparente, Suetica secessit classis Helsingforsium Nylandiæ. Sed Rex Gustavus in sequentem usque æstatem

Abogiæ comimoratur, & Polonum, Livonesque execratur, quod Moschum ex pacto simùl non invasissent; Sed Suecos hostili turpiter gladio objecissent. Ac interea cognoscens Principem Russiæ ad pacem propendere, V. Junii missio ad ipsum nuncio, se non minus transactionis studiosum significat, ac inde bene placitum nacltus responsum, pro legatis illuc expediundis, in Sueciam velificat.

Ità Martis incendium in Finlandia extinguitur, & protinus in Livonia accenditur, utpotè quæ multos hoc tempore habuit procos, nempe Suecum, Danum, Polonum & Moschum; Provinciamque, Ordinis Magister Theutonici. Henricus à Calen, sibimet conservare conatur. Proinde cognoscens, falso ne an vere, non dispuo, quòd Vilhelmus Marchio Brandenburgensis, Archiepiscopus Rigensis, frater Alberti Ducis Prussiæ, Sigismundum Poloniæ regem, velut sanguine junctum, in Livoniam pro Domino inducere meditaretur, armis exemplò correptis, eum impugnavit, & demum in arce captum Cachenhusensi, annuæ custodiæ mancipavit.

Danus porrò Vilhelmi commiseratus, (quo cum potius collusisset Archiepiscopus, quam Polono, idque propter consanguinitatem & affinitatem inter utrumque arctissimas,) transmissis in Livoniam legatis, illum Magistro reconciliare, ac liberare, frustra conatur, quòd Polonus transactionis nollet articulis subscribere, sed armis vellet captivum libertati restituere; Quibus ille, atque Prusorum Dux, Henricum mox impugnarunt, nec tamen iis capto libertatem impetrarunt. Hac Moschus domestica Livonum dissensione, & sua cum Suecis pacificatione instituenda propediem, animatus, Livoniam reliquis alicupibus, ceu avem prænobilem à se non difficulter capiendam, posteà existimavit.

Upsaliæ in Sueonia, XX. Augusti, frequens celebratur Synodus, in qua taxatur quantum pancho mercedis, pro sponsorum benedictione, atque funerum tumulatiōne effet largiendum. Roschildensibus autem in Dania Canonicis XI. Novemb̄ prohibuit Rex Christianus, ab Andrea Barby quodam persuasus ardeline, nè consueto amplius pelliceo indui amiculo, suis in Ecclesia muneribus fungerentur.

Verūm XXVII. Octobris, princeps Fridericus Regis frater, fatis succubuit, & Adolphus fratrū tertius, Slesvicensem occupat Gathedram, vicarium habens D. Paulum ab Eisen, Hamburgensem. Fridericum quoque Palatinum hoc anno mors abripuit, quo cum omnis exulantum spes Scondianorum, in patriam deinceps redeundi, fuit simùl contumulata. Hos inter Magnus erat, Scarenium Episcopus, quem reor in cœnobio propè Rostochium consenuisse, ac demum obiisse.

Nec quicquam tristitiae hujus, atque Palatini obitus, Gustavo Sueonum regi attulit, qui VII. Novemb̄ die, suos ex condicto mittit Legatos in Moschoviam, videlicet illūstrem virum Stenōnem Erici; Benedictum Glyta; M. Laurentium regni Archipræfulem; M. Michaëlem Agricolam, Finlandiæ Antifitem; & Olāum Secretarium; stabilem cum hoste pacem confecturos.

Anno MDLVI. Legati Sueonum securum nacli comeatum, XVIII. Januarii, Russiam ingrediuntur, & Nouogardiam post VII. venientes diem, illuc honorifice suscipiuntur, atque VI. Februarii, Mosquam indē perducuntur, ubi XXI. Martii, quadrilustrem cum Moscho pacem ineunt, & redeunt Stockholmiam.

Quòd ipsos postmodum subsecuti Oratores Moschovitici, mense Augusto, usitatis confirmingat pacem sacramentis, & per regem Gustayum juramento literisque vicissim confirmatur. Sed in reditu nostratium ex Russia, præsubitâ occubuit morte illorum unus, scilicet M. Michaël Agricola, IX Aprilis, qui Abogiam perlatus, sepulchro commendatur.

In Dania eodem circiter tempore, mors quoque diem dixit Doctori Johanni Machabæo, Hafniensium Professori, hujusque Rex funus ad tumulum

mulum, honoris ergò fuit comitatus. Deinde cum ante triennium Episcopus Slesvicensis, ab Instigatore delatus esset Cæsareo ad tribunal Spirense, ac vehementer ibi accusatus, quod licet Imperio foret immediate subjectus, tamen ipsi haec tenus nulla prælitisset obsequia. Ideoque rex Christianus in subsidium ab Episcopo fratre advocatus, modo suos expedit legatos ad Cæsarem, Ratisbonæ agentem. A quo impetrat, ut Spiræ in primis examinaretur, num Dania majorem non haberet jurisdictionem, quam Imperium, in ditionem Slesvicensium, seu Iutiam australis; illaque actio postquam nonnullis ibi annis ventilata esset, tandem sub rege Friderico determinatur, & regio Danis adjudicatur.

Verum modò in Livonia, Ferdinando Cæsare sequestro, aliisque Europæ Principibus suas partes interponentibus, ita reconciliatur Magister Crucigerorum Polono, quod huic impensas belli refusurus esset; Archiepiscopum libertati, dignitati, ditionibus, & munitionibus restituturus esset. Quod Henricus decretum protinus exequitur, & paucò post tempore moritur; Gui Vilhelmus à Furstenberg successit, postremus Crucigerorum in Livonia Magister. Gustavus quoque Sueonum Rex, capulo jam proximus, VII. die Septembris suum occœpit condere Testamentum, in quo regnum inter filios divisurus, Principi Erico primogenito, Smalandiam & Oelandiam, harumque munitiones, Calmarniam, Cronebergum, atque Borcholmum deputat; Principi Johanni Finlandiam; Magno Ostrogothiam; & Principi Carolo Sudermanniam, Nericiam Vermelandiamque destinat. Filiabus etiam provisurus, cuique illarum præter paraphernalia, C. millia thalerorum assignat. Princeps Ericus verò suum propediem accepturus Ducatum, illoque quoad pater esset superstes fruiturus, & deinceps in throno successurus, VI. Decembris, juramento literisque spondet Parenti, patriæ, & fratribus fideliatem, promittens quod limitem defendeleret; Intellectas fortè hostium infidias Patri tempestivè suggereret; In illos D. ferret subsidium equitibus, & II. peditum millibus; Cum nullo pangeret fœdus Parente inconsulto, ipisque literas quas aliundè acciperet, monstraret; Arces sartas & tectas cum armamentis, classeque, conservaret; Superintendantem & vasallos cum paterno assensu ordinaret, ac mercium precia taxaret; Mortuoque patre, fratribus & sororibus, novæque consilio & auxilio adstare, haud gravabitur.

Anno MDLVIII ineunte, Livonum redeunt ex Moschovia Oratores. Etenim priori exente, Livones Moschovitici Principis literas naœti clari-gationis, præfatis ad ipsum legatis protinus expeditis, ita cum illo conveniunt, ut acceptis ex Livonia XL. millibus thalerorum, & M. deinceps, annuatim Ungaricis ex sola Dorpatensium provincia, vendicato sibi in Livoniâ juri renunciaret in perpetuum universo.

Sed cum Moschus promissum mox à legatis flagitaret argentum, nec essent in præsentia solvendo, jubet eos remeare, armaque parare, se extemplo subsecuturum affirmans. Itaque reversis modò Livoniæ Oratoribus, Russus cum XXX. millibus armatorum, XXII. Januarii, Dorpatensem invadit provinciam, quam, velut quoque reliquas ditiones Livoniæ nonnullas, immanissimâ devastat crudelitate, ac opimis onustus spoliis, in Moschoviam accelerat redditum. Livones verò hostem secundæ accinctum incursioni cognentes, ab illo aliquantulas impetrant inducias, ut interea cum ipso pacem restaurarent, illique dum negotio Legati fideliter invigilant, stolidus Narviæ Livonicæ Castellanus, oppositam cœpit Moschoviticam tormentis diverberare arcem. Hac Princeps vehementer offensus perfidiâ, Oratores plurimum objurgatos dimisit, & siuum remisit in Livoniam exercitum.

Interim Polonus primâ in Livoniam Moscorum irruptione intellectâ, subveretur nè dominium illius adepti, Lithuaniam infestarent; Ac proin-

dè XXVIII. Januarii, Marschalco hujus Nicolao Radivillio per literas mandavit, ut adversus tantam crudelissimi hostis potentiam, fœdus inter Sueciam & Poloniam quantocius impetraret. Radivillius autem fideliter Regis executus mandatum, permovit regem Gustavum ad consentiendum fœderi, subscribendumque. Quando, ut existimo, de matrimoniiis inter Sueci filios, & Poloni forores contrahendis, fuerat nonnihil deliberatum, ac quoad Principes Johannem & Catharinam, fortassis approbatum, ut ille Princeps Finlandiæ futurus, contra finitimum Moschoviæ Tyrannum, à Rege affine identidem consequeretur subsidium, ipsique vicissim largiretur.

Verum alter regis Gustavi filius, Princeps Ericus, IV. Martii, suum obtinet à Parente Ducatum, Calmarniamque, veris initio, materna illius avia Catharina, Magni Lunenburgensium quondam Principis vidua superstes profecta, nepoti fortunam summoperè gratulatur, & ad illustre hortatur conjugium. Quo etiā sponte Princeps propendebat, ut si quidquam fratres, potentia & opulenta suorum in Suecia cognatorum animosi, à parentis obitu rebellionis molirentur, ipsemet quoque à cognatis & affinibus auxilium impetraret externis.

Nec fratum tamen ullum tantoperè metuebat, quantoperè Principem Johannem, quo cum à pueritia rixas habuit primum de crepundiis; postea de latifundiis; ac demum super toto Sueciæ imperio, quod huic fratrem inhiare existimaret. Prætereà ut Princi Johanni secundum fata Patris prævalereret, secreto passim incolas regni, sibi fidelitatis obstringebat sacramento, & primarios parentis servitores sibi arctius devinciebat.

Hanc porro Principis Erici molitionem, homines quidam maligni rebellionem in patrem interpretati perperam, vanis senem complent suspicio-nibus, filioque reddunt infestum. Illi tamen, fraude ardelionum intellectâ, ille offensas paternè condonavit, & in successione firmavit.

Ast in Livonia hoc temporis intervallo, Moschus crudeliter grassans, Narviam XII. Maji, & Dorpatum XVIII. Julii, dedita fibi, occupat, aliasque Livoniæ non paucas expugnat munitiones, ac regiones devastat; Præcipue verò Dorpatensem sibi provinciam subjugat, & captum illius Episcopum in Moschoviam ablegat, in carcere illic mortuum. Deinde Revaliam pariter damnis afficiendam, ac propinquam ipsi ditionem, civibus huc Dorpatensis transmissis, horrendum incolis minatur, nisi ultrò se se dederent.

Quocirca Gubernator metu perculsus inde profugit, & quidam Livonum Daniæ Regem ad opem rebus ferendam desperatis provocaturi, Révaliam regis Christiani nomine occupant, & missis ad ipsum nunciis, illud significant; auxilium implorant; ac obedientiam Danis, ceu primis conditoribus, teutoribusque deferunt.

Danus quanquam urbis & regionis esset cupidissimus, tamen Moschi potentiam subveritus, insignem duntaxat commeatum, & bellicum defendendæ civitatis apparatum, non exercitum ullum, huc destinavit. Quo Revalienses subdio, & singulari quodam animati ex Dania promisso, sua instaurant propugnacula, & adeò firmant, ut Moschi non amplius formidarent impugnationem.

Alii Livonum captant refugium apud Polonum; Reliqui solatium quaerunt apud Suecum, hicque competitorum deterritus multitudine, & martis incertitudine, prudentius dominium Estoniæ recusavit, quam filius postmodum acceptavit, quod copioso Sueonum sanguine fuit occupatum, & copiosiori hactenus conservatum. Quintus dubio procul fuisset Carolus Cæsar, Livoniæ candidatus, nisi prius se imperio abdicasset, qui XXI Septembris mundo, sceptroque valedixit, fratri linquens Ferdinando augustum diadema. Rex Gustavus porro Caroli obitum cognoscens, illa lætitiae signa edidit, quæ affatim indicarent, Suecum hujus Imperatoris fortunam fibi vehementer formidandam semper existimasse.

Atqui Calendis Augusti, Olaus Magnus Gothus, postremus Sueonum Catholicus Archipræful, Romæ de vita migravit, in Vaticana propè fratre sepultus basilica. Quorum fuerant hæredes Magnus & Olaus, Laurentio Antistitum fratre geniti; Qui studiis deinceps liberalium artium nuncio remisso, Belgicam aliquandiu sequuntur militiam, & tandem ad servitia promoventur Johannis ac Sigismundi, Regum Suetorum, in iisque moriuntur.

In Islandia denique IX erant cœnobia, annuis gaudentia proventibus, quæ modo Paulus Stygotus insulæ Præfectus, laicus elocavit, Regi indè census persoluturis, & monachos, monachasque ex priscis hujusmodi domiciliis exturbavit. Ita vetus ex Islandia migravit religio, postquam DCCL circiter annos illic floruit.

Anno MDLIX Calendis Januariis, Coldingæ mortem oppetiit Princeps Christianus III. Danorum rex, & Ottoniæ illius paulisper funus deponitur, quod Roschildiam deinceps fuit translatum, illic sollemniter humatur, & cenotaphio marmoreo alabastrinoque pereleganter decoratur. Rex Christiernus, obitu patruelis cognito, illum lacrymis fertur prosecutus; Sed ut arbitror, Crocodylinæ fuerunt, ipse metusque post XXIII. à morte agnati diem, nempe XXIV. Januarii, anno captivitatis XXVII, ac ætatis LXX, in fata illum subsecutus ultima, in paterno tumulatur Ottoniæ sepulchro.

In throno autem Daniæ parenti succedens princeps Fridericus II. animadvertis regni plebeculam propensioribus esse animis in regem Christiernum, quā erga suam esset promotionem. Ideoque graves quidam scriptum reliquere Historici, ab illo contribulem præsentissimo sublatum fuisse veneno Christiernum. Talis profectò, per æquissimum Dei judicium, Tyranno contingit interitus, qui innumeros quondam sustulit infantes veneno, laqueo, & aliis sexcentis suppliciorum generibus, ac præcipue in Sueonia, Norvegiaque.

Adolphus autem Dux & Episcopus Slesvicensis, exequiis fratri persolutis, bellum pro Dithmerorum subjugatione cœpit clanculum moliri, huic infestus nationi, quod nullius subjecta dominio viveret; Jugum Daniæ & Holsatiæ detrectaret; Veteri Cæsarum donationi, se Danis subjicientum, obedire abnueret; Propter insignem de Johanne & Friderico Danorum Regibus victoriam ante LIX. annos reportatam, adhuc immodice triumpharet; Holsatiæ limitem subinde infestaret, atque crebris Holsatiæ Principes incesseret maledictis.

Quamobrem his de causis, velut etiam ob dominandi libidinem, princeps Adolphus dudum impugnasset Dithmersos, nisi frater rex Christianus, paternum subveritus infortunium, bellisque defatigatus, hanc dissuasisset frequenter ipsi militiam, quo nunc mortuo, Principem Adolphum nemo potuit à Dithmersorum deflectere oppugnatione.

In hunc porrò finem, ineunte vere, dum Princeps Adolphus, Principe Johanne germano in commilitum adhibito, bellum secretò appararet, & rex Fridericus patruorum ignoraret molitionem, delatorum præterea sermone seductus, illorum cœpit militiam subvereri, donec secus à principe Adolpho informatus, ipsam non modo approbaret, sed copiis etiam conscriptis, ad eandem festinaret tertiam subactæ Dithmersiæ portionem habiturus & reliquum princeps Adolphus, princeps Johannesque, illius provinciæ divisuri,

Antequam vero invaderent adversarios, missò in Dithmersiam faciali, bellum incolis pro more denunciant, se non alienos à pace simul intimantes, dummodo velint sponte Danis ac Holsatis præstare obedientiam, hancque contumaciter abnuentes XXII. Maji aggrediuntur.

Nec imparatos offendunt Dithmersos, illorum tamen præsidio ad limitem profligato, Meldorpam, civitatem australis Dithmersiæ nunitissimam, in primis oppugnant, & expugnant. Deinde Heidam non minus firmam, borealis Dithmersiæ urbem, aggressi, illâ non incruente potiuntur; Quandoquidem

sub ipsa multi Danorum & Holsatorum sint trucidati atque fauciati, horumque fuit unus ipsemet princeps Adolphus, qui graviter vulneratus, ex conflictu deportatur, fideliumque operâ chirurgorum sanatur.

Incolæ autem longè majoribus affecti cladibus, & potissimum provinciæ munitionibus amissis, in Prædensis nemoribus ac inviis modò latitantes paludibus, de suaque & suorum desperantes incolmitate, tandem XV. Junii expeditis ad Principes Oratoribus, supplices veniam obsecrant. Itaque receptui cantatur; De responso supplicibus dando paulisper deliberatur; Et demum hujusmodi promulgatur: Victis ignoscetur Dithmersis, si positis armis subjectionem spondeant fidelissimam Daniæ & Holsatiæ Principibus. Hos pro legitimis agnoscant imposterum dominis; Tormenta & ornamenta instrumentaque militaria, olim Regibus Johanni atque Friderico, aliisque ablata Magnatibus, restituant; Vetera Pontificum & Imperatorum diploma-ta, quotquot superflunt, libertatem Dithmersorum afferentium, victoribus tradant; Fœderibus cum populo finitimo percussis, renuncient; Trinas in Dithmersia faciant suis dominis potestatem arces exstruendi; Tanta pendeant his annuatim tributa, quanta Stormarienses; Si denique XXIV traditis obsidibus, firmorem promissis fidem adstruant; sua quælibet arma victoribus assignent; Proprias in regione munitiones solo adæquent universas; Et XX Junii, superstes incolarum omnis multitudo, ad locum confluens præfixum, sancte præfata exequatur.

Has pacis conditiones ex reducibus intelligunt caduceatoribus Dithmersi, & illis, licet durissimam continentibus servitutem, subscribunt; condicto miseri convenient loco; ex victorum arbitrio se obstringunt; promissa faciunt, & gratiam impetrant, ad nullam deinceps rebellionem aspirantes, sed pacta fideliter observantes.

Hanc Danis & Holsatis victoriam de pugnacissima Dithmersorum gente relatam, finitimæ inviderunt nationes, ac præsertim Lubecenses, qui hujus initio belli, missi in Dithmersiam legato, frustra inter incolas & Principes sunt conati pacem restaurare. Nec tam facilis Dithmersorum fuisse subjuga-tio, si aliquantò citius gens planè mavortia secretas hostium rescivisset molitiones, & subsidium à fœderatis populis admittere ipsi licuisset. Hinc tamen rex Fridericus & patrui plurimum elati, Sueciæ somniant æque facilem fore subactionem.

Verum principio anni in demortuæ locum Mariæ, Angli substituunt Elizabetham, quam rex Henricus ex Anna Bolenia suscepisset, hujusque amore captus Princeps Sueonum Ericus, suas potissimum Dionysii præceptoris, natione Galli, & religione Calviniani, qui suum ita Suecis dogma obtrusum iri confidebat, illam expetivit uxorem.

Hæc regni sceptrum Angli nacta, veterem eliminavit doctrinam, & Calvinianam postlimino revocavit. Istam rex Gustavus magnoperè detestabatur religionem, ad quam nihilominus ipsum nuper Calvinus suis hor-tatus erat literis suscipiendam. Ideoque senex subveritus nè cum nova nupta illud in Sueciam dogma penetraret, sicut etiam expertus ipsemet, peregrina minus utilia regno matrimonia, huic filii voto consensum diu abnuebat.

Sed tandem precibus illius inclinatus, ipsum expedivit Dionysium, con-nubii hujus authorem, primo vere in Angliam, Reginæ mentem exploratu-rum. Nec tamen Princeps Ericus illo contentus legato, ipsemet Elizabetham hoc super negotio statuit convenire, securum propterea commeatum per Daniam à consobrino flagitans rege Friderico Angliam versus. Ac interim parentis in se animum intellecturus, suos destinat Stockholmiam exploratores, qui Maijo mense Calmarniam reversi, non satis sibi addictum significant. Erici postea Rex Gustavus excusationem adeptus, sicut etiam literas Dionysii, quibus memorabat solam illustris sponsi præsentiam connubio deesse, Calen-dis

dis Junii per literas admonet filium, ne hujusmodi fideret delatoribus, contestans se paterno in illum esse affectu, simulque hortans, ut quantocius Stockholmiam advolaret, illic porrò de Anglicā secum deliberaturus profectio. Cui obtemperat Princeps admonitioni, & paternum festinat ad conspectum.

Hoc tempore Vilhelmus Ordinis Livonici Magister, ob ætatem nimis proiectam, bello contra Moschum gerendo minus sanè idoneus, resignat provinciam suo coadjutori Gothardo Ketlero. Qui protinus de Revaliæ tollitus recuperatione, per legatos ipsam à Dano repetit, nec illam duntaxat obtinet, sed etiam XX millia thalerorum in subsidium, pro reliqua à Moschis Livonia bello recuperanda. Atque contra potentem adeò hostem copiosorem requirens belli nervum, destinatis quoque in Sueciam Oratoribus, flagitat auxilium. Qui acerbius inde responsum secum reportant, quod Vilhelmus & Gothardus regem Gustavum ad expeditionem impulissent ante quadriennium Moschoviticam, & promissâ ipsum ope turpiter destituissent. Simul advenerat in Sueciam legatus Poloni, Christopherus Conarcius, in negotio Livonico & Moschovitico; Sed responsum quale reportaverit, id in Historiis non invenio.

Ex Chronicō autem Daniæ comperio, quod Johannes Munichusius, Oeselienium & Curlandorum Episcopus, irruptiones horrescens Moschorum, utramque nunc Friderico Danorum regi assignaverit diœcesin. Itaque Danus illas ab infestatione hostis securas redditurus, legatos extemplo in Moschoviam destinavit, ac Episcopas deinceps Magno fratri, pro ipsius in Ducatis portione hæreditaria, deputavit.

Divulgaverat hactenus fama per Europæorum Principum aulas, quam Gustavus Sueonum Rex largam filiabus dotem assignasset, & non paucos illorum impulerat ad expetenda conjugia virginum. Quorum unus illustris dominus Ezardus, Frisiæ orientalis Comes, IX. Juli, Stockholmiam delatus, Catharinam Regis filiam expetiverat conjugem, consensuque virginis & parentis impetrato, Frisiæ repetit, nuptiis comparatus necessaria, ac mox in Sueciam ad earundem sollennia redditurus.

Interea temporis Stockholmiam quoque profectus Princeps Ericus, sui pariter apud patrem urget conjugii promotionem, ac nolens ullo modo rex Gustavus filium primogenitum, nominatum sibi in throno successorem, ex regno in Angliam dimittere, alterum illuc filium principem Johannem, & prænobilem virum Stenonem Erici, Principis hujus avunculum, liberalissimo illis viatico donato, mense Augusto destinaverat.

Per idem vero temporis spaciū rex Fridericus, in Daniæ suæ invigilat coronatiōni, ipsamque Hafniæ XX. Augsti, quâ decuit solennitate celebrat. Alt Septembri mense in Sueciam reversus Comes Ezardus, secum adduxit Johannem fratrem; Franciscum Saxoniam principem; & Johannem ab Hoja Comitem, virginis ametinum, quam ingenti festivitate consequitur sponsus uxorem, Calendis Octobris, amplissimasque cum ipsa divitias.

Verum in Livonia hoc anno non Venus, sed Mars dominatur horribilis, & Moschus pro consuetis apportat mercibus amplissimis arma cruentissima, quæ condit in viscera incolarum. Ideoque Lubecenses pristinam Revaliæ negotiationem intermittentes, Narviam velificare, ibique cùm Moschis occēperunt modò in primis mercari. Quorum vestigia inseculi protinus alii Vandalicarum urbium institores; sicut etiam ex Anglia, Scotia, Hispania, Gallia, & Hollandia, mercatores, Narviam quoque contenderunt. Quam Revalienses classe in Balticum emissâ Oceanum, frustra impedire conati sunt navigationem, quæ sibi consueta eriperet lucra.

Nec minus Gothardum Livoniæ Magistrum, ista præcæ negotiationis commovit translatio, quam velut innumera incolis alia nuper detimenta. copiose ac luctuose illata, Moschis expensa referens, insigni collecto exercitu & Christophero Megapolensem Comite, atque Rigenfis Archiepiscopæ coadjutore,

in commilitum adscripto, illos Novembri mense acriter impugnavit, plurimasque ipsorum copias prostravit; Non tamen Dorpatum recuperavit, aliquandiu vehementer obsidione divexatum.

Anno MDLX. Hostis indè magis irritatus, majoribus longè copiis Livoniā pervadit, non paucas illius munitiones occupans, quas præsidarii nimio perculsi timore, citra necessitatem plerumque dediderunt. Etenim Januario mense, capto ità Marienburgo, Rigensem & Curonensem infestat regiones Moschus, quas populatus non fuisset, si Magnus Dux Holstiaæ illic adfuisse, qui primum fériis Paschæ Arnsburgum perveniens, Oeseliensem ac Semigallensem, modicoque post tempore etiam Revalensem à Mauricio Vrangel hujus Præsule sibi traditam, suscepit Episcopas administrandas.

Sonnenburgensem quoque provinciam illi quidam Henricus Vulphius assignavit. Totque idcirco ditiones adeò prompte submittunt incolæ Principi Magno, quod hujus dominio subjectas, à Moschi excursionibus, Dano fœderati, securas fore arbitrarentur. Magister Gothardus autem fortunæ invidens Magni, suæque timens, expeditis ad illum legatis, interrogat, cum tot subjugaret Livoniae provincias, & Moscho frater esset fœderatus Estoniam infestanti, quid ab illo esset expectandum? Hujusmodi reportant Oratores responsum, quod ipsemet Magister, & afflictissima Livonum natio, præsentissimum à Principe advena subsidium essent habituri. Indeque Livones magnoperè exhilarati, negligentius suis invigilant rebus, & certatim Nobilium filii ad Magni convolant aulam, quorum ille princeps juvenis, nec dum XX. ingressus annum, præpostoris consiliis, ad nimiam denique calamitatem perducitur.

Hactenus aliquot commoratus in Anglia mensibus Dux Johannes, perbenignum ab Elizabetha fratris nomine obtinet responsum, sicut etiam de quadam inter Suecos & Anglos negotiatione instituenda Stockholmiae, Londinoque patriam versus initio veris egrediens, illustri admodum pompâ, plurimum auri & argenti signati, quæ per urbem incederet, inter plebeculam ad spectaculum effusum, ejiciendum curavit.

Atque sub finem Aprilis, Elsburgum Westrogothiæ incolumis appellens, Wastenum contendit; Quò Princeps Ericus prior adveniens, fratrem XI. Maij die, ibi magno suscepit honore ac amore. Indeque post biduum cum ipso Princeps Johannes, ad parentem Gripsholmiæ morantem profectus, fortunatum Legationis exponit successum, asseverans connubio nihil aliud deesse, quam proci præsentiam. Sed quod Legati nullas tanti matrimonii adferrent conditiones suspiciosus magnoperè admiratur Cremes, & subverrens fraudem huic subesse negotio, cum gemitu affirmat, se isti velle lubenter impendere dimidios regni census hornotinos profectioni, modò illam patriæ sciret profuturam.

Quamobrem hac super re cum Ordinibus consultaturis, illos ad XXIII. Junii diem Stockholmiae jubet comparere, quod ipsemet cum filiis abiit festinus. Isto autem tempore in prædio Regis Suartesiogensi, horribilis sub terrâ lamentatio audiebatur, in primis virili, deinde puerili voce miserabiliter prolata, de qua multifarium fuerat hominum judicium!

In comitiis porrò Stolmensibus, decreto iterum Arosiensi, de hæreditaria regiorum filiorum in throno regni successione, Ordines subscripserunt, & regis Gustavi testamentum, modo consummatum, approbarunt. Quo ille proprias filiis assignavit ditiones, & dotem filiabus, simulque qua vellet ratione post mortem gubernari regnum, prudenter ordinavit. Deinde prolixis ultrò citroque deliberationibus super Anglica habitis profectione, illi Rex Gustavus, & Sueonum reliqui, difficulter tamen consentiunt, insignemque viatici promittunt contributionem.

Quæ

Quæ omnia XI. Julii contigerunt, quandò vicissim Princeps Ericus ritu solenni in Ecclesia Stocholmensium parochiali, se parenti, fratribus, & statibus obligavit, quod cum Anglo matrimonio plurimum haetenus de regni thesauro, in defensionem patriæ diu congregato, esset impensum, & modò non minus impendendum, Angliæ natus dominum, inde subsidium Sueciæ in hostes foret quoilibet promptissimum latus. II. Sin connubium non procederet ob conditiones fortassis minus tolerabiles ab Anglis prescribendas, tantum sibi in divisione subtrahendum vellet hereditatis paternæ, quantum huic insumptum constaret negotio, cohæredibusque attribuendum. III. Conditionibus patriæ in perniciem vergentibus, & illam servituti Anglorum quodammò subjacentibus, matrimonium non iniret; Sueciæ regimen alienigenis haud permitteret; Sed fratum uni in sua vel filii committeret absentia. IV. Anglis bellum Suecis non inconsultis gerentibus, tantum subsidii hinc ferendum esset, quantum indè contra Sueoniæ hostes expectandum. Immò si Sueciam nervo belli propter hanc conjugii promotionem vehementer exhaustam, Danus, Moschus, alias impugnaret hostis, efficeret Princeps Ericus, ut totis Angli viribus illi opitularentur. V. Vivo parente, non tantas de thesauro flagitaret amplius summas, proventibus sui Ducatus hinc exportatis contentus futurus; Grandia nec contraheret nomina à patre solvenda; neque quicquam Sueciæ oppignoraret, vel quoquo modo alienaret, citra paternum & fraternalm assensum; Nec etiam his inconsulis, vetera in regno alienigenis confirmaret privilegia, vel nova donaret. VI. Paternas fratribus & sororibus servaret donationes; Nec cum Danis patriæ machinantibus perniciem, & peculiaria illius violenter insignia usurpantibus, ulla comprobaret nova pacta; Sed jura regni vetusta omni conatu imposterum esset defensurus.

Hoc temporis intervallo Moschus Livoniae intentus subjugationi, propè sollennia Pentecostes, Harigiam devastat, ipsique Crucigerorum superstites congressi, proflicantur, trucidantur, & in durissimam vivi abducuntur servitutem.

Quocirca Gothardus illorum Magister, seram patriæ excidio latus opem, mense Julio, Parnaviæ de illa cum Vilhelmo Rigenium Archiepiscopo, & Magno Oeseliensis, Semigallensis, Revaliensisque dioecesum administratore; ac Christophero Magnipolensium Principe & Rigeni coadjutore illic presentibus, maturanda consultavit.

Verum isti cognoscentes hostem Velino imminere, ac illud jam grandi exercitu obsidere, posthabitâ deliberatione, provinciæque neglectâ defensione, trepide hinc diffugiunt. Ibi tamen prius D. Magno cœnobium Padisense fuerat adjudicatum. Moscho autem post unius mensis obsidionem, Velinum à perfidissimo proditur milite præsidario, & emeritus Ordinis Magister Vilhemus Furstenberger indè captivus in Moschoviam abducitur, cum aliis Livonum plurimis, pariterque eximio Estoniæ thesauro, ac insigni Livonum apparatu bellico, ibi velut arce munitissima deposito.

Moschus Velino potitus, exercitum in turmas divisit ternas; Quarum una Volmariam Vendamque infestavit; Altera Vichiam incursavit, quod Magnus hujus dominus, nupero Parnoviæ conventui adversus Russos celebrato, interfuisset; Et tertia, illaque maximâ, septimanis aliquot frustrâ oppugnavit Vitenstenium. Illâ porrò in Vichiâ excursione, fratisque obsecratione permotus Danorum Rex, secundâ compellat Moschum nunc legatione, & Magno prudenter excusato, pacem impetrat. Ast cohors hostilis, Vichiâ interim direptâ, ditionem spoliat Revalensem, & copias mercatorum erumpentes, ac incautius pugnantes, ingenti clade cumulat, indeque ad commilitones se contulit sub Vitenstenium.

Danus quoque sollicitus de retinenda nuper subacta Dithmersia, per suos & Holsticos apud Cæsarem Ferdinandum Legatos, novæ obtinet subjugationis modò confirmationem, ac perpetuam hujus regionis possessionem. Deinde suam demonstraturus jurisdictionem similiter, non in Sciam & Gotlandiam solum, veteres Gbthiæ provincias, sed etiam in regnum Sueciæ universum, quam haetenus usurpando Suecum terrena diademata, oblique tantum insinuaverat, suauis Johannis Frisi Daniæ Cancellerii, & conatu Petri Rosenfontani librum quendam adversus Johannem Gothum, cause Sueticæ patrocinantem, hoc tempore censuit publicandum, ac velut primum Suetico classicum ita bello canendum esse.

Verum inchoatâ Sueonum cum Anglis federatione Danus perculsus, receptui fermè cecinisset, nisi Vandalicas urbes veterum confirmationem privilegiorum natas, indubium sibi auxilium laturas certò certius sperasset. Ideoque in Comitiis Ordinum nunc Ottoniæ celebratis, priscam mercatoribus Hansaticis immunitatem in

## 120 CHRONOLOGIAE SCONDIAN. TOM. QUINTUS.

Dania & Norvegia negotiandi roboravit, & ipsos ad opem sibi ferendam obligavit, licet hujusmodi parens ipsis abnusset privilegia,

Non minora Sueones subsidia ab Anglis per Erici connubium sperantes, viaticum ipsis alacres contribuunt, illique præterea rex Gustavus XX millia librarum argenti defacati donavit, ex quo plurimum in Angliam præmisit, necessaria nuptiarum festivitati ornamenta indè comparaturus, & mense Augusto subsequens Stockholmiam, Calmarniam versus festinavit.

Fratrem verò honoris & amoris ergò, præter alias contribulium haud paucos, soror comitabatur Cecilia Vastenum usque, Comesque Frisonum Johannes, quibus Princeps Ericus hujusmodi obsequium non satis humaniter compensavit. Quò rex Gustavus nuncio, velut quoque filii charissimi abitu, senioque magis deinceps quotidie debilitatus, demum XXX. Septembbris die horam circiter VIII. temporis matutini, exhalavit animam. Interim filius Princeps Ericus Calmarniā properavit Ludosiam, cum splendio admodum comitatu atque apparatu, ut indè navigaret in Angliam non aliundè, nè Cymbricum non satis amicum cogeretur fretum pertransire. Ibique autem vento detentus adverso septimanis aliquot, paternum intelligit obitum, & IX. Octob. Elsburgo Stockholmiam expedit prænobilem virum Gabrielem Christierni, ac Johannem Kyle, ut suo nomine regiam orbam occuparent, & ab arcium præsidio quarumlibet juramentum fidelitatis acciperent, donec ipsemet eò adveniret. Quò etiam modò intermissa pro tempore Anglica profectione, quod fraternalis timeret molitiones, redditum maturaverat.

Atqui Princeps Johannes magis forsitan de pompa funebri sollicitus apparanda, funus paternum & maternum tumulo erutum, sicut quoque maternum fratri Erici, ornatissimis imponit loculis, omniaque parentationi necessaria solerter disponit. Tandem XXII. Novembbris, Rex novus centum stipatus comitibus Stockholmiam ingreditur. Quò etiam XII. exinde die, Legatus Moschi Fedderus Gregorivitus ad venerat, Ceciliam regis Gustavi filiam suo petitum Principi conjugem. Sed intricato ipsis statu cognito, parentisque obitu, subticuit negotium, & rediit.

Atqui mox post regis Erici redditum, Oratores ipsum convenerunt illic Revaliensium, nervum flagitantes belli defensivi adversus Moschum gerendi, & quid illis præterea solatii ex Suecia foret expectandum, si ab hoste cingerentur, cognoscere desiderantes?

Quibus responsum, quod suo Suecia argento non posset ita carere; Verum quandoquidem Revalienses omnium essent ope destituti, & sicut præda in hostium fauibus constituti, ipsisque si Moschus potiretur, magis quam hactenùs foret Sueonibus quoque formidandus; Ideò si Revalienses Sueciæ collum vellent submittere, ipsis pecuniam, arma, commeatum, & protectionem hinc non defuturam esse. Tanto illi promiso magnoperè exhilarati, illud cum nobilibus Harrigiæ ac Virlandiæ communicant, initioque cum his consilio, per Legatos Ordinis Magistro subjectionem adhuc deferunt, dummodò se ab hostibus valeret defendere; Sin minus, alium sibi dominum provisuros esse.

Quâ ille consternatus oratione, dissuasit defectionem, & Revaliensum suscipiens defensionem, aliquantulam ex Polonis cohortem ipsis destinavit. Quæ cum incolis plus esset offensioni quam defensioni, dato illi salario ac honorario, ipsam exautorant, & propriis armis se corroborant, auxiliaria in necessitate à Sueonibus præstolantes.

Gothardus autem Chetlerus Ordinis Magister, se Livoniæ contra Moschi potentiam deinceps non posse ullo modo defendere, liquidò animadvertis, illam & semipsum imperio submisit Polonorum, ac Curlandiam Livoniæ portionem exiguum jure hæreditario adeptus, illius Dux, & Comes Semigalliae, à rege Sigismundo Augusto designatur.

Quo pacto dignitas Magistrorum Theutonicorum, ordinisque Crucigeri auctoritas in Livonia cessavit. In Suecia medio tempore funebri Regis mortui apparatu confecto, ille XVII. Decembbris cum binis conjugibus, Catharina & Margareta, ex urbe Stocholmensi Upsalensem versus pompâ omnino regali deportatur, ac sacro D. Thomæ Apostoli festo, in choro Basilicæ Upsalensis parthenico, sub alabastrino elegantissime laborato humatur cenotaphio, indeque rex Ericus peractis exequiis Stockholmiam revertitur, quam XXIV. Decemb. die, mœstus ingrediebatur.

*Deo sit laus gloriaque perennes.*